UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiarum Inter Principes Cathedras Divi Thomæ Doctoris Angelici, Et Scoti Doctoris Svbtilis

Stümmel, Friedrich

Coloniæ Agrippinæ, 1680

Controversia XV. De Scientia simplicis intelligentiæ, ubi quidnam sit ens poßibile terminans divinam simplicis intelligentiæ scientiam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-84332

Visual Library

CONTROVERSIA DECIMA-QUINTA.

DE

Scientia ſimplicis intelligentiæ.

Vbi

Quidnam ſit ens poſſibile terminans Divinam ſimplicis intelligentiæ ſcientiam.

SUMMARIUM.

1. *Vnde trahatur poßibilitas entis. q. 1.*
2. *An creaturæ ab æterno ſub ſtatu poßbilitatis dicant aliquod verum eſſe, idque ſit eſſentialiter quid poſitivum vel negativum, quidve importent in recto quid in obliquo. q. 2.*
3. *An Scotiſtæ q. 1. a 2. cit. a n. 359. uſque ad 362. ex Subtili Doctore rectè argumententur contra doctrinam ſuperiorem q. 1. a 1. aſſe. 1. & 2. propoſitam. q. 3.*
4. *Quid ſolidi afferant Auctores primæ claſſis cit. q. 1. a 2. n. 362. & ſeq. contra doctrinam noſtram in eadem q. 1. a 1. Aſſer. 1. & 2. aſſertam, ubi, an aut poßibile pendeat à potentia Dei, aut ſit tam neceſſarium & independens ac ipſe Deus. q. 4.*
5. *Diſcutitur quid denique comportent Auctores in quæſt. ſecundæ claßis citati q. 1. a 2. n. 365. contra doctrinam ibi a. 1. Aſſe. 1. & 2. datam, ubi an poßibile logicum pendeat à Deo in genere cauſæ exemplaris. q. 5.*
6. *An creatura poßibilis ſit quid medium inter ens reale & rationis, ubi brevis occurrit relectio ſuper doctrina* Poncii & Maſtrii *Scotiſtarum Recentiorum de ente poßibili. q. 6.*

QUid ſit eſſe creaturarum poſſibilium, ex hoc capite tractandum ſuſcipio, eo quod nonnulli ex Recentioribus obtrudant Scotiſtis, quod quidem multa dicant de ente quodam diminuto, quod ſit ens poſſibile ab æterno productum à Deo non per omnipotentiam ſuam, quæ ſolum terminatur ad ens reale & actuale, ſed per intellectum, ex quo illud diminutum per metaphyſicam quandam ſequelam reſultet, verùm quia iidem Scotiſtæ per illud eſſe diminutum intelligunt tantummodo eſſe cognitum ab æterno, conſiſtens in denominatione extrinſeca à cognitione divina, ſicut eſſe amatum vel viſum in denominatione extrinſeca à viſione vel amore uti explicant *Scotum Smiſing Tract.* 3. d. 2. q. 3. ſub finem. *Brinzenno* Controv. 12. *in Appendice de Ideis. Philippus Faber, Angelus, Vulpes, Poncius* & alii, ubi de hoc ente diminuto tractant, hinc iiſdem objiciunt, quod in rem præſentem nihil aliud afferant, quàm poſſibilia ab æterno cognoſci à Deo, de quo non eſt Controverſia, ſed quidnam illud ſit, ad quod divina cognitio terminatur ab æterno, & à quo propoſitiones habeant eſſe æternæ veritatis, cujus reſolutio, an à Scotiſtis inexpenſa relinquatur, ut de illis ait *Veken* diſp. 17. c. 3. n. 10. oſtendemus in ſequentibus, præſertim quia hujus inquiſitio eſt quaſi continuatio materiæ, de Ideis de quibus egimus Controv. 13. Cùm enim *Scotus* dicat creaturam poſſibilem obire munus ideale in mente divina, pro complemento illius doctrinæ hæc Controverſia hic fuit attexenda, de tali eſſe poſſibili, ſitnè quid poſitivum vel negativum, & licet Metaphyſicam redolere prima fronte videatur, attamen ad hanc ipſam doctrinam & plurimas alias & maximas Theologiæ difficultates reſerandas multum affert luminis. Ut autem in hac re, quæ eſt implexa multis difficultatibus, clarè procedamus, in prima quæſtione generatim aſtruemus unde trahatur poſſibilitas. In 2da an dicat quid actuale ab æterno. In 3tia & 4ta & 5ta ea, quæ generatim aſſerta ſunt in quæſt. prima, revocabuntur ad trutinam, & argumenta in oppoſitum diſcutientur, cum ultimata reſolutione, quid in *Scoti* doctrina de poſſibilitate rerum ſit tenendum.

QVÆSTIO

QVAESTIO I.

Vnde trahatur possibilitas entis?

SVMMARIVM.

1. *Possibile logicum, per quid distinguatur ab impossibili n. 346.*
2. *Logici possibilis à physico quale discrimen. n. 247.*
3. *Ens possibile accipit ab intellectu divino esse productum. in esse cognito. n. 35. & seq: Quid sit esse cognitum. ibidem.*
4. *Cur solus intellectus divinus conferat esse cognitum rebus. n. 252. & n. 413. q. 3.*
5. *Intellectus non confert Creaturis possibilitatem logicam. 354. & seq.*
6. *Possibilitas logica, esset quamvis nullus daretur intellectus. n. 355. & 357. & seq:*
7. *Scotistarum argumenta nostræ doctrinæ opposita à n. 359. usque ad n. 362.*
8. *Argumenta externorum contra eandem doctrinam. n. 362. 363. 364. & 365.*

344 Potentia duplex.

SIcut non accipitur ab omnibus pro eodem, quod Scotistæ exprimunt per ens possibile, per esse diminutum, vel per creaturas secundum esse cognitum, quæ haud in idem recidunt, ita quia Auctores nonnulli *Scoti* mentem assecuti non sunt, vel locos Scoti non inspexerunt in fronte non rectè illum intelligentes, imperitè illum interpretantur, quasi dixerit illud esse diminutum ex mente *Subtilis* per divinum intellectum produci ab æterno, & transire in quidpiam actuale & existens, à quâ calumnia jam dudum non solum Scotistæ Magistrum suum, sed & plures alii extra scholam Scoti, ut subinferius in decursu dicetur, exemerunt, sed dum *Scoto* elucidando incumbunt Scotistæ, singulique suum roborant sentimentum, ut videre est apud *Mastrium* & *Poncium* Scotistas alioquin doctissimos, longissimarum nectunt corymbos altercationum, in quibus, cùm omnes fermè difficultates præsentis Quæstionis attingunt, eas hic, ut Lector, quis eorum & veritati & Scoto conformius loquatur, judicare possit, ad trutinam revocare lubet, pro occasione tamen materiæ, in qua tali methodo procedemus, ut res de ente hoc diminuto, de ente possibili, quæ est alioqui satis difficilis, distinctè & perspicuè intelligatur. sit

ARTICVLVS I.

An possibilitas entis dependeat ab aliquo principio extrinseco?

345 PRænotandum ex *Scoto* 1. d. 36. ens dividi in ens in anima & ens extra animam, illudque extra animam ulterius dividi in ens actuale, sive quod est in actu, & in ens possibile, sive quod est in potentia, de quo in præsenti. Dupliciter autem aliquid dicitur ens in potentia, semel in potentia logica, & semel in potentia objectiva vel ut alii loquuntur potentia physica, ut alii loquuntur cum *Aureolo* 1, d. 42. in 2. par. distinctionis art. 3. §. *Restat autem hic dicere*, pro intellectu differentiæ inter hanc & illam.

Quid possibile logicum?

346 PRænotandum secundo: Possibile logicum apud Mastrium d. 8. met. a. 3. n. 33. *Vekenum* d. 17. c. 3. n. 17. Sichen in sua Metaphys. d. 2. q. 3. n. 22. dici illud, quod (esto *Baro* Apol. 7. *Met.* Act. 2. n. 6. contradicat illi explicationi, quid secundum nos de hoc sentiendum, vide infra q. 2. art. 1. §. 2. à n. 388. usque ad §. 3.) quod non involvat contradictionem, si actu ponatur in esse actuali, in quo inquit *Veken* velut distinctionis symbolo ens possibile differt ab impossibili, quod nimirum duplicem infert negationem; una est, quam ens possibile & impossibile communem habent; quod neutrum existat actu. Secunda, & soli competit impossibili, est, quod ipsi repugnet existere, cui opponitur negatio non repugnantiæ ad existendum, quæ est ipsa possibilis entis possibilitas, qualiter autem, cùm non detur negatio negationis, neque uni negativo immediatè valeat opponi aliud negativum, esto illa non repugnantia explicetur per negationem, imò consistit exercitè in negatione, adhuc concernat connotetque entitatem positivam, ratione cujus secundæ isti negationi velut quid positivum contradictoriè opponatur, in decursu quæstionis patebit. Vide n. 398. q. 2.

Quid

Quid poſſibile objectivum ſeu phyſicum?

347 POſſibile objectivum ſeu phyſicum ſupra poſſibilitatem logicam ſeu non repugnantiam ad exiſtendum addit virtualem inclusionem effectus intra eminentiam Dei, ſive in potentia Dei connotante eſſe phyſicum effectus, quod eſt objectum phyſicæ productionis, quo pacto à Scoto 1. d. 36. q. un. §. Ita in proposito. n. 14. appellatur poſſibile objectivum, nimirum quia eſſe phyſicum effectus eſt objectum & terminus potentiæ divinæ ad extra, quale nequit eſſe poſſibile logicum importans meram negationem non repugnantiæ ad eſſendum. Itaque diſparitas inter poſſibile logicum & objectivum hæc eſt, quod poſſibilitas logica non imbibat virtualem inclusionem eſſe poſitivi effectus, intra eminentiam cauſæ, ſicut poſſibilitas objectiva vel phyſica, his præſuppoſitis

Prima eſt apud Scotiſtas celebris opinio, intellectum divinum eſſe principium conferens poſſibilitati rerum aliquod eſſe ab æterno, quæ tribuitur *Scoto* in diverſis locis, in aliis locis econtra eruitur oppoſitum, ut ſi rationes Doctoris in primis locis maturè conferantur cum rationibus ejuſdem apparenter oppoſitis, & apud illum in aliis locis omninò convincetur ex illo, quod accipiant poſſibilia à Deo aliquod eſſe ab æterno, & tamen non accipiant poſſibilitatem. Opinio quorundam ex Scoto

Quid juxta doctrinam *Scoti* ens poſſibile accipiat ab intellectu divino.

348 *Opinio Scotiſtarum variat & cur?*

HIc cum Scotiſtis agendum, qui ens poſſibile poſſibilitatem accipere ab intellectu divino tenent propter manifeſtos textus Scoti 1. d. 43. q. unica. §. *Aliter dico à prima ſententia*, n. 5. ubi docere videtur, quod non repugnantia ad exiſtendum, quæ eſt ipſa poſſibilitas conveniat enti poſſibili in ſecundo inſtanti naturæ, poſtquam in primo jam intellectus divinus produxiſſet. Item in 2. d. 1. q. 1. §. *Stando igitur præcisè in primo inſtanti naturæ.* n. 14. expreſsè habet, quod ideò Verbum non procedat ex dictione intelligibili creaturarum, quia creaturæ pro illo inſtanti, quo Pater generat, nullum habent eſſe intelligibile proprium, quouſque in ſigno poſteriori intellectus divini operatio illi conferat eſſe intelligibile proprium & formale. proprium *Scoti* textum cum genuina illius explicatione dabimus infra. Sit

ASSERTIO I.

Intellectus divinus confert enti poſſibili aliquod eſſe ab æterno, quod nihil eſt aliud, quàm eſſe productum in *eſſe cognito*.

349 HÆc Aſſertio digladiantes Scotiſtas reducit ad pacem, Scotique textus ad germanam Doctoris intentionem, quod quando inibi aſſerit intellectum divinum efficere creaturas in eſſe poſſibili, nihil aliud productionis nomine intellexerit, quam productionem in genere declarativo, per quam accipiat creatura poſſibilis eſſe intelligibile, ſeu obtineat & inducat per productionem illum eſſe poſitivum in ratione objecti, ſeu eſſe objectivum, eſſe objectivè expreſſum ab æterno in mente Dei.

Quid ſit eſſe cognitum ab æterno in mente divina?

350 PRobatur Manifeſtatio & repræſentatio per intellectum divinum, eſt quædam productio creaturæ in ratione intelligibilis; ergo illa rectè dici poteſt quoddam ab intellectu productum in eſſe intellecto ſeu eſſe cognito. prob. *anteced.* creaturas poſſibiles antecedenter nullibi apparebant, nullibi extabant, latebant in Eſſentia, acceſſit intellectus & eas apprehendendo quaſi extudit, ut fiant extantes, & ex eſſe incognito, ſint cognitæ & manifeſtæ, è nubilo ponantur in intelligibili perſpicuo, & quæ prius erant latentes inter Divinæ Eſſentiæ lumina, quodammodo arte & ſapientia divina foras extrahuntur, excitantur, ut appareant productæ in medium per operationem Dei cognitivam: ergo illa eſt quædam productio, & creaturæ poſſibiles aptæ dicuntur eſſe quoddam productum ab æterno à mente divina in eſſe intelligibili, in eſſe cognito. *conſeq.* prob. & *Aſſertio*

Probatur ſecundò: Hæc productio declarativa entis poſſibilis analogicè conſtrui poteſt cum productione phyſica & ad eſſe actuale terminata: *ergo* terminus productionis declarativæ per analogiam quandam ad productum phyſicum aptè dicitur productum in eſſe cognito: *anteced. prob.* ideò verè eſt productio phyſica, quia producit rem in eſſe phyſico & exiſten-

existentiali secundum omnia sua prædicata & requisita, ita ut aliter fieri non possit: atqui isthæc productio declarativa prædicata entium possibilium nullibi ante apparentia jam quasi primo invenit, inveniendo manifestat eadem illis prædicata pro omni statu & semper, etiam extra statum possibilitatis essentialiter congruere, ita ut alia prædicata prætereo, quæ hic apparentia sunt, illis coaptari non possint: ergo cùm habeamus veram aliquam productionem possibilium in esse intelligibili, quis inficias ibit dari productum ab æterno rerum in esse cognito? de quo Macedo Collat. 9. diff. 2. sect. 6. *in Iudicio.* ait: In Scoti sententia divinus intellectus cognita Essentia, ut objecto
"primario cognoscit creaturas uti objectum
"secundarium excitans illas & extundens,
"præbendo iis esse cognitum & expressum,
"cùm eminenter & virtualiter sint in Essen-
"tia, & parturit quodammodo dans illis esse
"intelligibile. & mox: in ea, puta, Essentia
"Divina, & per eam vivunt, lucent & æter-
"nant. Quid subtilius illo esse cognito? quid
"ingeniosius, illo esse producto? quid acu-
Macedo. "tius illo esse diminuto? Nova hæc sunt &
"ante Scotum vix in Scholis nota, omnia
„erant communia, omnia vulgaria. Bona
„quidem sed non tuta; sed non subtilia; soli-
„da, sed non acuta, accessit *Scotus* & divino
„suo ingenio addidit bonis admirationem, tu-
„tis subtilitatem, aptis splendorem, solidis
„acumen. Extulit, quæ jacebant; protu-
„lit, quæ latebant; illuminavit, quæ cali-
„gabant, & ad imitationem intellectus divi-
„ni, qui res, quæ virtualiter tantum erant in
„Essentia, excitavit & declaravit, & ad esse
„cognitum produxit *Scotus* subtilissimo suo
„ingenio, quæ intra sinus Theologiæ recon-
„ditos occultabantur, eruit, protulit, illu-
„stravit, & ad usum scholasticum exercitii-
„umque reduxit. ita ille. Contra quæ ta-
„men

352 Dices: Illa productio declarativa nihil dicit præter intellectus apprehendentis tendentiam in objectum, sed illa nequit vocari productio passiva rei in esse cognito & intelligibili, cùm alioqui quilibet intellectus, dum tendit in objectum, illud formaret in esse intelligibili, ut v. g. beatus apprehendendo quidditativè Deum, produceret Deum in esse cognito.

Respondeo permittendo maj. neg. min. ad cujus probationem nego sequelam, non enim quælibet tendentia intellectus in objectum, vocari potest productio entis in esse intelligibili, sed ea solum, quæ trahit objectum, quasi ex fuga & nihilo sui ipsius in esse objecti, ad esse objecti & primum confert esse objectivi, eo prorsus modo, quo ens rationis, quando efficitur ab intellectu creato, induit positivam illam rationem analogiam entis, quam non præseferebat ante terminationem intellectus in illud, non quidem quod intellectus conferat etiam enti possibili possibilitatem, cujus oppositum mox infra statuetur, sed quod ens possibile, quod ante tendentiam divini intellectus erat sola non repugnantia ad essendum, accedente terminatione ejusdem intellectus ad ens possibile accipiat esse objectivum, & primum cognitum esse, atqui sic accipit productum esse cogniti, sicut quia Adam omni animæ viventi nomen imposuit, dici posset ex nihilo nomenclaturæ animalium produxisse animalia in primo esse nominabili & grammaticali, quando primus adjunxit & sua singulis nomina imposuit in paradiso. Gen. 2. *Omne quod vocavit Adam animæ viventis* (quæ antea anonyma existebant) *ipsum est nomen ejus.* Sed esto succedanei Adam eisdem nominibus vocant animalia, non tamen jam producunt illa primò quasi in esse nominabili, ut patet: ergo neque intellectus creatus tendendo nunc creaturam possibilem. Vide ad hoc argumentum, quæ dicuntur infra q. 3. sub *Assert.* 2. n. 413. q. 3.

Cur intellectus Dei dum taxat reflectus conferat esse cognitum?

353 Confirmatur, & tertiò probatur *Assertio*: Voluntas divina producit creaturas in esse volito: ergo & intellectus in esse cognito: anteced. prob. ex *Scoto* 1. d. 39. q. unica. §. *Quantum ad primum dico.* n. 21. ubi sic de voluntatis operatione ait: *licet productio in esse existentiæ non concomitetur necessariò operationem ejus* & cæt. *tamen necessariò* comitatur productio in esse volito, subaudi, dum eam determinat vel objectivè immutat ad futuritionem, *& tunc* (pergit Doctor) *non potest potentia illa Voluntatis divinæ primo quidem esse ut productiva, sed secundum quid scilicet in esse volito.* ita Scotus. ergo si voluntas creaturas producit in esse volito, nullum relinquitur dubium, quin easdem producat intellectus in esse cognito, quatenus illa productio intellectum concomitatur, tit operativus est, ut ibi de Voluntate ait Doctor: *& ista comitatur eam*, puta Voluntatem, *ut operativa* & cæt.

Voluntas divina producit creaturas in esse volito.

***
***

ASSER-

ASSERTIO II.

Intellectus divinus nullo modo confert creaturis poſſibilibus logicam poſſibilitatem, quaſi illa primo effluat quo ad formale ſignificatum ſuum ab intellectu operativo Dei.

354 *Lichetus. Smiſing. Brinzen no. Baro. Meuriſius. Rhada: Vulpes.*

HAnc ex Scotiſtis tenent *Lychetus*, in Comm. in 1. d. 43. q. un. ſub §. *Nunc Doctor declarat opinionem propriam. Smiſing* Tract. 3. d. 7. de potentia Dei. q. 3. n. 46. oſtendens Scotum aliàs ſibi contradicere, cum dicat creaturas eſſe poſſibiles formaliter ex ſeipſis, adeoque Doctorem non eo ſenſu dixiſſe, quòd rerum poſſibilitas principiativè ſumatur ab intellectu divino, quaſi Deus cognoſcendo rerum poſſibilitatem faciat eſſe poſſibiles, cùm conſtet prius rem eſſe veram, quàm verè concipi etiam reſpectu intellectus divini. Eandem tenet *Brinzenno* Tom. 2. Controv. 12. in Appendice de Ideis. art. 1. n. 29. & ſeqq. & art. 2. per totum. *Canonicus 1.* Phyſic. q. 9. art. 1. ubi ait, quod nulla res in potentia objectiva dicit aliquam entitatem, ſed ſit purum nihil. *Meuriſſe* l. 2. ſuæ Metaph. c. 3. part. 6. q. 1. oſtendens ex Scoto ens in potentia ad mentem Doctoris 1. d. 36. & 5. Metaph. c. 7. non poſſe dici ſimpliciter ens, quia illa particula, *in potentia*, eſt diſtractiva, potentia enim diſtrahit ab ente ſimpliciter. Idem denique docet Baro in ſua Metaph. Apoc. 7. Act. 1. n. 6. Vulpes & alii Scotiſtæ. Eſt autem contra Tataretum 1. d. 43. q. 1. Rhadam 1. part. Controv. 11. art. 2. §. *Septimò nota.* Albertinum Tomo 2. ſuorum Corollariorum in prædicam. Subſtantiæ

Maſtrius. d. 1. q. 1. ſect. 2. *Maſtrium* diſp. 3. de divino intellectu. q. 2. art. 2. & diſp. 8. Metaphyſicæ ſuæ. q. 1. art. 2. n. 19. tenens quod eſſe cognitum à divino intellectu rebus tributum ſit omninò primum earum eſſe formale, ante quod nullum eſt prius, per quod res formaliter eſſe dicatur, & hac ratione ibi concludit illud eſſe cognitum competere enti poſſibili, non per denominationem extrinſecam, ſed per intrinſecam potius, eo modo, quo intellectus noſter enti rationis & ſecundis intentionibus tribuit, non quod eſt illis extrinſecum per denominationem extrinſecam, quæ rem ſupponere ſolet, cui advenit in proprio eſſe, ſed eſt eis intrinſecum & formale, licet ſecundum quid & diminutum; ita cognitum eſſe, in quo producuntur creaturæ à Deo eſt intrinſecum, & formale ipſis creaturis, licet diminutum & ſecundum quid. Ex quibus elucet, quæ Maſtrii ad propoſitum ſit opinio, de qua pluribus infra.

355 Contra quam & Rhadam alioſque Scotiſtas, qui cum illis ſentiunt, probatur *Aſſertio*, quæ imprimis concordat Doctori Subtili, cui eſt conformis in diverſis locis, primò diſtinctè idem 1. d. 43. q. unica aſſerit §. *Quantum autem ad impoßibilitatem.* n. 6. oſtendens impoſſibilitatem entis non eſſe ex Deo. *Nec etiam entitatis oppoſitæ tali non entitati, eſt,* inquit, *intellectus divinus ratio poßibilitatis nec etiam intellectus divinus eſt præciſa ratio poſſibilitatis oppoſitæ nihilo, qui tunc teneret illud argumentum de cauſis præciſis in affirmatione & & negatione.* Deinde eam expreſsè tenet 1. d. 36. q. unica. n. 14. dicens: *& iſtam poſſibilitatem conſequitur poßibilitas objectiva, & hoc ſuppoſito omnipotentia Dei, quæ reſpicit omne poßibile, dummodo ſit aliud à ſe.* Tamen *illa poßibilitas logica abſolutè ratione ſui poſſet ſtare, licet per impoßibile nulla potentia eam reſpiceret.* & 1. d. 7. unica. §. *Ad quæſtionem igitur reſpondeo.* n. 7. ubi ſic ſcribit: *Sufficit ſola non repugnantia terminorum; ſicut ſi ante mundi creationem mundus non ſolum non fuiſſet, ſeqæt impoßibile Deus non fuiſſet & incepiſſet à ſe eſſe, & tum fuiſſet potens creare mundum; ſi fuiſſet intellectus aliquis ante mundi creationem componens hanc: mundus erit: hæc fuiſſet poßibilis, quia termini non repugnarent, non tamen propter aliquod principium in re poßibili, nec propter activum ſibi correſpondens.* Subdit immediatè: *Nec etiam modo illa: Mundus erit, ſunt poßibilis formaliter, loquendo de potentia Dei, ſed potentia, quæ erat non repugnantia iſtorum terminorum, quia iſti termini non repugnant, licet iſtam non repugnantiam concomitaretur potentia activa reſpectu hujus poßibilis.* Ex quibus perſpicuè patet, quod ſit de mente *Scoti*, & amplius patebit ſubinferius, inſpiciendo ea loca, quibus multi facti ſunt dubitantii de mente *Scoti*, & in oppoſitum abeuntes, ſignanter quia ipſius *Scoti* diſcipuli veteres ut *Aureolus* 1. d. 42. art. 3. §. Sed hic modus dicendi. & *Occam* 1. d. 43. q. 2. ita *Scotum* intellexerunt, ideoque acerrimè impugnarunt, ut res videri poſſit omninò non carere difficultate, quo ad mentem *Scoti*.

Interim probatur Aſſertio ratione noſtri *Occami.* cit. non enim eſt *Rubionis*, ut vult *Maſtrius.* In illo inſtanti, quo Deus operatur circa creaturam poſſibilem, vel invenit illam actu poſſibilem, vel non; ſi primum, habetur intentum: ſi ſecundum, ſemper relinquet illam impoſſibilem, quod enim ſemel eſt impoſſibile & repugnans, ſemper repugnat, alioquin intellectus divinus facere poſſet, ut impoſſibilis hæc complexio, *homo irrationalis*, eſſet poſſibilis, quod eſt abſurdum: ergo dicendum, quod hi termini, idem

eſt

est de omnibus aliis possibilibus, *homo rationalis*, pro illo instanti, quo Deus cognoscit & operatur circa illos, inveniat revera non repugnantes, ergo illam non repugnantiam, in qua consistit logica possibilitas, non habent creaturæ possibiles ab intellectu divino, & hoc est, quod dicebat Doctor supra 1. d. 36. q. unica. n. 14. *Possibilitas logica absolutè ratione sui posset stare, licet per impossibile nulla potentia eam respiceret*; nec est verisimile, si benè *Scoti* textus perpendantur & inter se conferantur, quod velit creaturam possibilem ab intellectu divino in esse possibili logico produci & non potius haberi ab ipsa intrinseca non repugnantia ad essendum, seu à quidditativis rerum conceptibus, à quibus non potest non trahi. Et patet ex *Bargio*, qui inter alia responsa hoc affert, pro illo instanti dari possibile logicum, estque id, quod intelligimus, non autem objectivum, quod neque nos dicimus; & ideò *Mastrius* d. 8. *Met.* q. 1. a. 3. n. 41. rejecto *Bargio* respondet creaturam possibilem nec habere esse formale proprium nec possibile, nec intelligibile, sed habere duntaxat virtualiter & radicaliter in divina Essentia ob ejus virtualem continentiam: sed hæc responsio planè non subsistit, possibile enim, ut concipitur in ordine ad continentiam eminentialem Essentiæ Divinæ, est ipsum possibile objectivum, quia hoc dicit talem inclusionem in continentia Essentiæ Divinæ virtualem, & hac ratione possibile objectivum anteverteret possibile logicum, quod est falsum, etiam penes *Mastrium* l. c. n. 29. circa finem. Deinde argumentum non procedit de rerum esse virtualiter in Essentia contento, quod est nõ quid possibile, sed actuale, imò ipsa Essentia vel omnipotentia, sed de possibili rerum quo ad esse proprium ac distinctum ab esse causæ, ut ibidem fatetur *Mastrius*, & suo se jugulat gladio; ergo nihil prorsus respondet ad argumentum.

Alias rationes videre licet apud *Poncium* in sua Metaph. d. 69. q. 5. concl. 5. n. 53. ad quas respondet *Mastrius*, sed an illas evacuaverit, judicet Lector. infra q. 3. sub responsis ad objectiones contra hanc & tertiam Assertionem, ubi Assertio tam hæc, quàm sequens amplius stabiliuntur.

A quonam itaque possibile logicum sit auspicandum?

ASSERTIO III.

Quidquid illud sit, quod possibile logicum sibi vendicat in recto & in actu exercito, id ex suiipsius propria ratione formali ita sibi vendicat, ut semotâ comparatione ad quodcunque primum principium, imò data per impossibile primæ causæ implicantia, creaturæ possibilitas suum quod habet esse, ratum maneret & inablatum.

357 Est conformis *Scoto*, & probatur ex iis, quæ supra sub n. 355. ex ipso adducta sunt, quòd si ante mundi creationem, non solum mundus non fuisset, sed neque per impossibile ipse Deus, fuisset tamen intellectus componens hanc propositionem: Mundus erit; hæc fuisset possibilis, quia termini non repugnarent.

Probatur *secundo* ex dato supra discrimine inter possibilitatem objectivam & logicam, quod possibilitas logica antecedat principium in Deo relatè acceptum, sive ut est continens virtualiter esse physicum effectus producendi, in ordine ad quod concipitur possibilitas objectiva, quæ præsupponit logicam, res enim prius logicè est possibilis, quàm possibilis objectivè.

Logica possibilitas nõ pẽdet à principio extrinseco.

Probatur iterum & *tertio* ex Doctore cit. 1. d. 36. q. unica. n. 14. sic ajente: *Nec hoc est fingendum, quod homini non repugnat, quia est ens in potentia, & chymeræ repugnat, quia non est ens in potentia, imò magis è converso, quia homini non repugnat, ideò possibile est potentia logica, & quia chymeræ repugnat, ideò est impossibilè impossibilitate opposita*, ubi Doctor velut à priori ostendit possibilitatem illam non esse desumendam à potentia, sed ex rationibus formalibus non repugnantiæ ipsorum possibilium, sive in re realiter, qualis possibilitas est in Deo, sive præsuppositivè & independenter à qualibet potentia & causa extrinseca, adeoque & in ordine ad intellectum divinum, qualis competit creaturis ex propria ratione formali earum independenter à potentia Dei, vel à qualibet causa extrinseca, quantum est absolutè ratione sui, ut si per impossibile nulla causa efficiens existeret, non absumeretur logica possibilitas; hinc subdit ibi Doctor: *Et istam possibilitatem*, puta logicam, *consequitur possibilitas objectiva*, & hoc supposito omnipotentia Dei, quæ respicit omne possibile. Tamen illa possibilitas logica absolutè ratione sui posset stare, licet per impossibile nulla potentia eam respiceret. Vide plura de hoc q. 3. hujus *Controversiæ* per totum.

358 Ex quibus patet, quòd Assertio Doctoris Subtilis referat doctrinam, quam ut solidemus amplius, producemus quidquid illi adversum adducunt opponentes, qui sunt in duplici differentia. Alii namque sunt domestici, scilicet ipsi *Scotistæ*, qui admittunt Assertionem quidem, quâ possibilitatem logicam ab Omnipotentia Dei independentem facit, secus qua illam extrahit à productione intellectus, licet enim, ut inquit *Mastrius* l. c. & art. 3. n. 36. creaturæ possibiles intrinsecè & formaliter sint ex seipsis, extrinsecè tamen & principiativè sunt ab intellectu divino, idque contra *Poncium* probare conatus est ibi art. 2. n. 14. & 15. sed an rectè, ut promisi, sub n. 344. inferius videbitur q. 6. Et alii, qui nostram doctrinam infestant, eamque duplici via sunt extra scholam Scoti; Nam aliqui eorum contra illum in eo vim figunt, quòd putent Omnipotentiam esse connexam cum possibilitate entis, adeoque à fortiori censent possibilitatem connecti cum potentia in genere causæ efficientis. Alii econtra vim ponunt in eo, quia censent ens possibile pendere à Deo, non quidem in genere causæ efficientis, sed in genere causæ exemplaris.

Ecce quantum bellum Doctorem de reculis possibilium, si tamen reculæ sint, & non purum & putum nihil. Hic audiemus, & postmodum retundemus singulos in suo ordine.

ARTICVLVS II.

In quo

Nonnulli Scotistæ Assertionem secundam & tertiam adoriuntur, quà dicit possibilitatem logicam in actu exercito ab intellectu divino nec principiativè auspicandum esse.

359 *Scotus objicitur contra allatam doctrinam.* SAnè haud videntur inermes Scotistæ, qui ex ipso Scoto assertioni nostræ litem indixerunt. Primo 1. d. 43. q. unica. §. *Sed istam primam sententiam arguo primo.* n. 3. ita habet: *Potentia divina, qua Deus dicitur Omnipotens, non est formaliter intellectus divinus, sed quasi præsupponit actionem intellectus, sive illa potentia sit Voluntas, sive alia potentia executiva, sed lapis est possibilis ex se formaliter. Ergo reducendo quasi ad primum principium intrinsecum, intellectus divinus erit illud, à quo est prima ratio possibilitatis in lapide, non igitur illa potentia activa, à qua Deus dicitur omnipotens, est prima ratio possibilitatis in lapide.* & mox: *lapis productus in esse possibili per intellectum divinum habet ista ex se formaliter & quasi principiativè per intellectum; igitur est ex se formaliter possibilis, & quasi principiativè per intellectum divinum.* Quæ omnia possibilitatem entis attribuunt intellectui, & idem amplius *Doctor* ibidem n. 5. §. *Aliter dico in prima sententia.* innuit in his: *per ipsam potentiam sub ratione, qua est omnipotentia, non habet objectum, quod sit primo possibile, sed per intellectum divinum producentem in primo instanti illud in esse intelligibili. Et intellectus non est formaliter potentia activa, quâ Deus dicitur formaliter omnipotens, & tunc res producta ab intellectu divino in esse tali scilicet intelligibili, in primo instanti naturæ, habet seipsa esse possibile in secundo instanti naturæ: quia seipsa formaliter non repugnat sibi esse, & seipsa formaliter repugnat sibi habere necessarium ex se, in quibus duobus stat tota ratio possibilis, in quibus correspondet rationibus potentiæ activæ.* & subinferius: *si tamen res intelligatur esse possibilis, antequam Deus per omnipotentiam producat eam, sic est verum: sed in illa possibilitate non est simpliciter prior, sed producitur ab intellectu divino.*

Scotus.

Ex quibus palam habetur, quòd non repugnantia vel possibilitas rerum illis congruat formaliter in secundo instanti naturæ, postquam divinus intellectus illam produxisset in primo instanti, ergo non erat ens possibile ante illud instans primum, in quo circa illud intellectus incipit esse operativus & fieri principium.

Confirmatur ex aliis Scoti verbis ibidem dicentis: Non est igitur possibilitas in objecto aliquo modo prior, quam sit omnipotentia in Deo, accipiendo omnipotentiam pro perfectione absoluta in Deo, sicut nec creatura est prior aliquo absoluto in Deo.

Ex quo certè sequitur possibilitatem logicam non esse ante intellectum, si enim sit posterior omnipotentia, ut est perfectio absoluta & non relatè accepta, ergo à potiori erit posterior intellectu, idque probat fusè *Mastrius* disp. 8. Met. q. 1. art. 3. difficul. 2. à n. 36. usque ad n. 39. contendens etsi possibilitas objectiva denumenda sit à potentia Dei, secus possibilitas logica, attamen isthæc logica possibilitas, quæ dependeat ab intellectu, ac esse suum accipiat (non quidem ac Doctor foret intelligendus quasi in esse cognito in primo signo naturæ resultet esse possibile in rebus in secundo signo naturæ, ut vult *Vasquez*, *Rubion* & alii cum Nominalibus, qui ex malâ intelligentiâ multa impertinenter contra ipsum objiciunt) accipiat inquam suum

suum esse ab intellectu ut à principio extrinseco, ita ut loquendo de ratione extrinseca, sive originativa, sive productiva dante esse tale vel tale, intellectus divinus est ille, qui principiativè producit creaturam in esse possibili, formaliter verò & intrinsecè ipsa possibilitas illis conveniet ex rationibus suis formalibus, quas n. 38. vult attendendas penes ordinem ad intellectum connectentem inter se extrema non repugnantia, sicut potentia objectiva penes ordinem ad potentiam agentis productivam, quia, inquit, potentia logica est modus quidam compositionis factæ ab intellectu judicante prædicatum in aliqua propositione convenire subjecto & nullam esse repugnantiam inter ea ex suis rationibus formalibus subortam: ergo possibilitas logica in rebus consurgit ex rationibus earum formalibus interveniente judicio intellectus, & unum absque alio non sufficit. ita *Mastrius.* & confirmat ita: quia si nullus daretur intellectus potens judicare aliqua extrema esse inter se compossibilia vel incompossibilia, nulla daretur possibilitas vel impossibilitas logica, quia hæc attenditur in ordine ad intellectum sic vel sic judicantem, nulla etiam possibilitas daretur, si non darentur termini invicem ex suis rationibus formalibus convenientes vel repugnantes: ergo utrumque in solidam concurrit ad constituendam possibilitatem, præterea, hoc, inquit, interest ex superius dictis inter potentiam logicam & objectivam, quod una attendatur ex ordine ad intellectum judicantem extremorum possibilitatem; altera verò in ordine ad potentiam activam agentis, sicut ergo prima rerum possibilitas desumitur à prima voluntate, quæ est Divina Omnipotentia, ita valdè consentaneum est, ut prima rerum possibilitas logica nedum ex rationibus rerum intrinsecis attendatur, sed etiam principiativè ab intellectu divino, qui est omnium primus. hactenus idem Auctor, cujus reliqua argumenta ad hæc reducuntur.

Ratio formalis entitatis possibilis attendendas penes ordinem ad intellectum.

351 Secundò arguit potest ex Scoto 2. d. 1. q. 1. §. *Stando igitur præcisè in primo instanti naturæ.* n. 14. postquam assignasset pro primo instanti productiones ad intra, *sequitur*, inquit, *secundum instans naturæ in quo comparatur intellectus & voluntas divina ad aliud objectum secundarium: & quia in illo instanti objectum illud non est ex se actu intelligibile, sed fit actu intelligibile per intellectum, ideò non habet esse in memoria divina, ut memoria est, sed producitur actu intelligentiæ in tali esse objecti, sicut in nobis intentiones secundæ producuntur per intellectum, & non sunt in memoria, ut memoria est.*

Scotus.

Et sive poneretur, quod haberent esse per memoriam, sive quod producerentur per intelligentiam in esse cognito, saltem prius natura, quam habeat esse in memoria divina vel in intelligentia, tam memoria, quàm intelligentia est in tribus Personis, & ita in quantum memoria vel intelligentia est in istis tribus Personis, est ratio producendi ista in esse. & mox:

Et ita potest probari, quod prima causalitas respectu causalium in esse cognito, necessariò sit in tribus Personis. Similia Doctor habet 3. d. 32. q. un. §. *Ex isto sequitur secundo.* n. 3. vide illum, & invenies, quòd loquitur contra Assertiones allatas: ergo quod possibilitas entis non habeat esse pro instanti, quando concipitur productio ad intra, sed prius esse illius incipit pro instanti sequenti, dum nimirum accedit operatio intellectus divini conferens creaturæ esse intelligibile proprium & formale; vel dicant illi Scotistæ, si creaturæ antecedenter habeant suum esse formale & independenter ab intellectu, quare illæ solum illud suum esse proprium & formale possibilitatis non attineant pro illo priori instanti ad memoriam Patris, cum talis memoria sit pro illo instanti illimitata & comprehensiva cujuscunque intelligibilitatis propriæ & formalis, adeoque fieri non posset, quin pro illo instanti inspiceret creaturas in seipsis possibiles, aut concedendum est de mente Scoti totam rei possibilitatem trahi ab intellectu divino intelligibiliter illam producente, modo per *Mastrium* prætenso.

Applicatio textus contra Assert.

Confirmatur: Doctor expresè dicit supra ens possibile produci ab intellectu divino, sicut in nobis producuntur secundæ intentiones, sed illæ, sicut omne ens rationis, formantur ab intellectu creato, illius enim beneficio inducunt suum primum esse positivum, ita ut non formentur solùm in esse cognito, sed etiam in esse intelligibili, quod illis ante non infuit. Hæc sunt, quæ *Scotistæ* potissimum opponunt contra *Assertionem* secundam & tertiam. pro quorum solutione vide infra à n. 407. usque ad n. 418.

* * *

Afferuntur fundamenta & argumenta eorum, qui extra ſcholam Scoti philoſophantur.

362 *2da Claſſis eorum, qui datæ doctrinæ reluctantur.*

PRima claſſis eſt eorum, qui putant, quod poſſibilitas logica entis hauriatur à potentia, in quantum res non eſſent poſſibiles, ſi potentia Dei ad ipſas ſe non extenderet, & eſſet quaſi prima radix non repugnantiæ rerum, cùm non poſſit apprehendi terminus potentiæ divinæ ſcilicet creatura ut importat non repugnantiam ad eſſendum, niſi prius concipiatur in Deo potentia, in cujus virtute contineatur, & hæc opinio

363 Probatur primò, nullum medium aſſignari valet inter eſſe à ſe, & eſſe ab alio: atqui ſolus Deus eſt ens à ſe; ergo omne aliud eſt ab alio, & quædam juxta talis entis poſſibilis conditionem participatio; neque enim eſt aliquid increatum, aliàs eſſet ens neceſſarium in eſſendo ſecundum illum conceptum poſſibilitatis, ac proinde eſſet Deus. Hoc argumento utitur quoque *Maſtrius* contra *Poncium* & ſecundam noſtram & tertiam Aſſertionem, qua tenet totam poſſibilitatem trahi ab intellectu divino. Secundò: ſi per impoſſibile non eſſet Deus, tolleretur eſſe poſſibile ſeu non repugnantia creaturarum: ergo poſſibilitas auſpicanda eſt à Deo, tanquam à principio efficiente. Tertiò: tanta eſt connexio inter potentiam & objectum ſaltem ſecundum rationem abſtractam poſſibilitatis, ut ablato objecto formaliter & per locum intrinſecum tollatur quoque ipſa potentia, quia periret in Deo eminentialitas ſeu virtus eminentialiter præhabens Petrum, v. g. ergo à fortiori ens poſſibile eſt connexum cum potentia, ut ſaltem connotet illam, ut eſſentiale extremum illius non repugnantiæ ad eſſendum, quam imbibit poſſibile logicum, non enim homo eſt non repugnans, ut exiſtat à ſe, ſed ut exiſtat ab alio: ergo poſſibile logicum eſſentialiter & quidditativè concernit potentiam Dei ceu facultatem exequentem ejus, ita ut eâ ſublatâ non remaneat logica poſſibilitas.

364 Confirmatur: Res actu exiſtens effluit à potentia Dei exequente ejus ad extra: igitur & res poſſibilis ſeu non repugnans ad eſſendum. conſeq. pr. quia res poſſibilis eſt eadem numero entitas cum actuali, ita ut non ſint tantum ejuſdem generis & ſpeciei, ſed etiam ejuſdem numeri, illud enim individuum, quod nunc eſt in actu, illud idem fuit in potentia: ergo licet diverſo ſtatu, ab eadem tamen potentia emanabit. *anteced.* prob. quia aliàs poſſet fingi realis gradus eſſendi ſive prædicatum reale ſub ſtatu actualitatis, qui non præfuiſſet ſub poſſibilitatis ſtatu ſecundum eandem numero rationem, ac proinde, qui repugnaret ſeu inficiaretur non repugnantiam ad exiſtendum poſſet eſſe ſub actualitate, adeoque contingeret ut aliquid non poſſibile ſeu impoſſibile eſſet ens reale, quod eſt abſurdum.

Hoc argumento utitur etiam *Maſtrius* d. 8. *Met.* q. 1. & art. 3. cc. n. 48. ad probandum, quod poſſibilitas in ſuo ſenſu dici debeat verum ens reale & poſitivum, nequaquam ſolam non repugnantiam ad eſſendum. Verùm & ſolutionem horum omnium dabimus à n. 419. uſque ad 429.

Secunda Claſſis Auctorum ſe armant contra *Scotum* aſſumendo in ſubjectum rationem cauſæ exemplaris, ſi contradictionem involveret exiſtentia prototypi & exemplaris, etiam repugnaret poſſibilitas logica creaturarum: ergo pendent aliquo modo à cauſa exemplari. *anteced. prob.* quia creaturæ non ſolum ſecundum eſſe actuale & exiſtentiæ, ſed ſecundum eſſe poſſibile ſunt quædam Deitatis imagines, juxta communem PP. & DD. ſenſum: ergo ſi ſit contradictio ad eſſe cauſæ exemplaris, contradictio erit ad eſſe imaginis, conſequenter ad eſſe poſſibilis, ita ut repugnet poſſibilitas logica creaturarum non exiſtente Deo, qui ſubit rationem Ideæ, ut diſp. 13. oſtenſum eſt: ergo licet poſſibilitas logica cenſeri queat producta à Deo in genere cauſæ efficientis, ſecus eſt ſentiendum de productione à Deo in genere cauſæ exemplaris, quæ nimirum entis poſſibilis imaginem per modum prototypi quodammodo ſpecificat & adumbrat in genere cauſæ formalis extrinſecæ ſaltem latè dictæ. 365

Huic opinioni ex Recentioribus Scotiſtis ſubſcribit *Sichen* diſp. 2. Met. q. 3. n. 24. in dubio ſequenti. n. 32. explicans ſuam mentem, ait, creaturam non poſſe concipi, ut logicè poſſibilem, niſi concipiatur ſaltem implicitè tanquam dependens ab Eſſentia, ut præſcribente illi determinatam illam Eſſentiam, ſecundùm quam pro tali ſtatu poteſt concipi. Ad omnia hæc melius intelligenda, præmittenda eſt quæſtio de vero eſſe vel non eſſe, quod creaturæ ſub ſtatu poſſibilitatis habuerunt ab æterno, ab hujus veritate enim pendet, quid ad objectas difficultates aut ſecernendas aut diluendas ſit reſpondendum. *Sichen*

***

QVÆSTIO

QVAESTIO II.

An creaturæ ab æterno sub statu possibilitatis dicant aliquod verum esse, idque sit essentialiter quid positivum vel negativum? Quidve importent in recto, quid in obliquo?

SVMMARIVM.

1. *Creaturæ ab æterno nullum obtinuerunt reale positivum actuale n. 369 & seqq.*
2. *Creatio & annihilatio quid, & qui differant ab aliis productionibus.* ibidem.
3. *Creaturæ terminant Dei causalitatem tam quo ad essentiam quàm quo ad existentiam. n. 370.*
4. *Deturne Conceptus quidditativus existentiæ potentialis? resolvitur negativè à n. 373. usque ad n. 384.*
5. *Ens possibile non potest connotare tempus n. 392. & seq.*
6. *Eadem numero Creatura, quæ fuit possibilis, est actualis non per conjunctionem identitatis numericæ, sed terminativè solum & connotativè. n. 396. & seq.*
7. *Creaturæ possibilis est ipsa Creatura in actu signato, ubi quid in recto quid in obliquo importet. à n. 403. usque ad q. 3.*

367 OPinio affirmans, quæ fuit *Henrici Gandavensis* jam olim funditùs à *Scoto* 1. d. 36. q. *unica* disjecta fuit, ut omnis terra siluerit per aliquot sæcula à facie ejus & efficacissimis & planè demonstrativis rationibus in oppositum adductis, novissimè Recentiores aliqui tamen ut *Basilius Poncius* Legionensis p. 1. *Variar.* disp. q. 8. *Schol.* c. 8. signanter sub §. *Sed tota hæc sententia.* Item *Albertinus* Tomo 2. suorum Corollar: substantiæ d. 1. q. 1. concl. 1. quibus adstipulantur *Granadus* & alii nonnulli dictam Henrici sententiam quasi à morte resuscitare conati sunt. Sit

ARTICVLVS I.

Num ens possibile nanciscatur ab æterno verum esse reale?

§.

Num illud esse, quod ab æterno habent Essentiæ rerum, sit verum esse actuale?

368 DIversi proponunt hanc Quæstionem, an habeant creaturæ verum esse reale actuale ab æterno, quod quo ad actualitatem rigorosam & propriè dictam ab Adversariis multis saltem non supponitur, sed à nobis, quod rigorosa & existentialis actualitas rerum ab æterno reapse in tali opinione admittenda foret, adeoque horum Recentiorum doctrina eadem sit cum Henrici sententia, probandum erit, non ab iis interrogandum.

***
***

ASSERTIO I.

Creaturæ ſub ſtatu poſſibilitatis quomodocunque adumbrent eſſe reale poſitivum nullum tale actuale habuerunt ab æterno.

369 *Cum Scoto tenent plerique Doctores.*

HÆc eſt Scoti 1. d. *36.* q. un. n. 3. §. *Contra iſta arguitur primò.* quem præter omnes omninò Scotiſtas *Scotique* Interpretes, & Univerſam Theologorum Antiquitatem ſequuntur Suarez d. 31. Met. ſect. 2. n. 3. ubi oppoſitum *in mentem alicujus Catholici Doctoris venire non poſſe judicat.* Averſa q. 8. Philoſoph. ſect. 2. *Paſquil.* Tomo 2. *Metaphyſ.* diſp. *Fonſeca*, *Arriaga*, & longè amplior numerus Doctorum, quos omnes citare nimis prolixum foret, quàm ſint pro ſententia oppoſita. Dubitant aliqui de noſtro *Mayronio*, quam tenuerit opinionem, ſed immeritò, ut videre eſt apud Brinzennum, Controv. 12. in Appendice n. 70.

Aſſertio communiter non ſolum à *Scotiſtis*, ſed & ab extraneis probari ſolet rationibus *Scoti*, quibus non dantur meliores: prima ſit hæc: Illud reale poſitivum, qualecunque illud fuerit ab æterno ante exiſtentiam, quæ in tempore accedit. ſecundum Adverſarios, non eſt purum nihil, hæc eſt enim theſis eorum: ergo vel proceſſit ab æterno per veram actionem productivam, vel non: proſequar unum membrum poſt aliud: ſi teneas primum *quod ſic*, jam non daretur actio creativa, imò eſſet implicatoria, ſicut & annihilatio: ſequela probatur, creatio eſt productio totius entis ex nihilo, ſicut econtra annihilatio eſt reductio ſive reſolutio totius entis in nihilum; ſed eo ipſo, quo poſſibile rerum aſtruitur, ſecundum aliquid ſui poſitivum reale ab æterno, non poſſet produci ab efficiente de nihilo totius entis, & eodem modo in hac hypotheſi, ut patet, non poſſet annihilari ſecundum totalitatem ſui: ergo. Dixi, *totius entis ex nihilo*, ad excludendum irritum illud effugium, quo volunt ſufficere ad creationem & annihilationem rerum, quod creatio fiat ex nihilo exiſtentiæ, non autem Eſſentiæ, ſimiliter annihilatio fiat in nihilum non Eſſentiæ, ſed exiſtentiæ, hoc enim prorſus infundatè dicitur, in hoc enim diſcrimen aſſignatur creationis ab aliis productionibus, quod hæc ſit productio ex nihilo ſecundum totalitatem entis, aliæ econtra, licet ad totum terminentur, præſupponunt tamen materiam, in qua, vel ex qua, vel circa quam. Aut certè, ſi non obſtante illo poſitivo, quod creaturæ poſſibiles ab æterno haberent, poſſent adhuc per creationem in tempore relatione ſolius exiſtentiæ produci, nulla amplius ratio ſubeſt, cur alia productio v. g. generatio non ſit etiam creatio, & corruptio non ſit annihilatio, quia illud poſitivum reale ab æterno, quod creationi præſupponitur, & quod in annihilatione relinquitur, haud minus eſt, imò majus illo, quod præſupponitur generationi, & poſt corruptionem relinquitur. Et viciſſim nulla ratio ſubeſt, cur creatio non eſſet generatio vel actio compoſitiva Eſſentiæ cum exiſtentia, cum enim non ſit cauſativa utriuſque extremi unibilis, erit productiva unius extremi, puta actus exiſtentialis, & elicitiva nexus inter illud eſſe æternum & actum illum exiſtentialem in tempore: manetque argumentum, quod de facto nulla detur actio creativa, nec ulla deſtructio annihilativa, ſed merum non eſſe alterius coëxtremi illius totius, quod ex Eſſentia & exiſtentia reſultat, quæ ſunt abſurda.

Creatio & annihilatio quid.

Qualiter diſtinguantur à generatione & corruptione.

Vel, ut ad ſecundum membrum progrediamur, autumas illud eſſe æternum reale poſitivum non procedere per actionem productivam: jam quæro; vel illud eſt à ſe, & eſt improductum, vel ab alio, nempè ab ipſo Deo productum; non à ſe, ut ſuppono, aſeitas enim ſoli Deo conveniens eſt: ergo ab alio, id eſt, à Deo. ſed non, ut conceſſum eſt, per actionem productivam: reſtat ergo quod per actionem creativam, cùm non ſit alia conſequenter ut creatura proceſſerit ab æterno, non in tempore, quod ſubvertit id Geneſis 1. v. 1. *in principio*, temporis ſcilicet, *creavit Deus cœlum & terram*, & noſtram fidem, quâ tenemus nihil de facto ab æterno fuiſſe creatum. Hoc argumentum fusè proſequitur *Maſtrius* d. 8. cit. *Met.* q. 1. art. 1. n. 5. uſque ad n. 9. quem, ſi lubet, de hoc diſcurſus prolixior adeas. Aliter

370 *Probatur* Aſſertio noſtra ſecundo ſuppoſitâ fide orthodoxa, quod nihil ſit productum ab æterno, ſi creaturæ habuiſſent eſſe reale verè poſitivum ab æterno, ſecundum illud eſſe eſſent improductæ à Deo, & in tempore ab illo ſecundum illud eſſe verè non producerentur, utpote quod antea habuiſſent, imò eſſent ſecundum illud præhabitum improducibiles, cùm ut ſic non ſubjiciantur liberæ cauſalitati Dei, aliàs pro nutu primæ cauſæ poſſet poſſibile fieri non poſſibile: hæc non ſunt dicenda; tum quia aliàs creaturæ ſecundum omnia ſua prædicata non terminarent actionem Dei, nec Deus attingeret ſpeciem ſuorum effectuum, ut voluntas divina producendo in Petro amorem, produceret ſolam exiſtentiam amoris, non amoris eſſentiam, quæ præfuiſſet ab æterno [idem eſt de agente creato] non ergo attingeret ſpecificam quidditatem amoris, in qua differ;

tatis Dei tam quo ad essentiam quàm existentiam:

differt ab actu specie distincto, cum non differant in existentia, quæ utrobique in actu amoris & odii v. g. similes sunt sibi: itaque cum totus homo v. g. sit totus creatura, totus ab alio, totus & secundum omnia sua prædicata à Deo, adeoque non sola existentia hominis, sed & essentia illi à Deo communicata terminet actionem Dei, cum alioqui illi non esset communicata, neque si præfuisset ab æterno, fuisset aptus terminus illum iterum communicandi de novo, consequenter nec specificandi actionem, quia tales non specificantur, nec ab aliis secernuntur per aliam & aliam existentiam, sed per aliam & aliam essentiam, quæ in proposito non terminaret illam: ergo inverisimile manet, imò falsum prorsus est, quod creaturæ possibiles habuerint esse reale positivum aliquod ab æterno. Eo namque dato, inferri posset cum *Barone* in sua *Met. Apol.* 7. a. 1. num. 3. contra Patronos illius esse æterni, cui sola defuit existentia, quod jam præfuisset S. Petrus & beatitudo S. Petri cum unione ad S. Petrum, nam & hæc habet essentiam suam, præfuisset, inquam, totam Essentiam suam extra causas constitutus ad beatitudinis unionem, & sic beatus esse potuisset per beatitudinem secundum esse Essentiæ in illo præinventam, & si hæc illatio Baroni negetur, saltem valet in argumento sequenti contra Thomistas.

Baro.

371 Inevitabile absurdum ex doctrina opposita.

Probatur tertio: Si res ab æterno habuissent esse reale positivum, cum non sit illud esse existentiæ, erit esse essentiæ, concedunt: *subsumo*: ergo Christus quà homo, realiter fuisset ab æterno, *seq. prob.* illud realiter fuisset ab æterno, cujus initium in tempore nec quoad Essentiam, nec quoad existentiam posset assignari: sed si essentiæ rerum fuissent quoad esse reale positivum ab æterno, nullum Christi Domini initium assignabile esset in tempore. *Min. prob.* quia non, quoad essentiam, hæc enim apud opponentes est æterna; neque quoad existentiam, quia ut eruitur ex doctrina *S. Thomæ*, Christus qua homo non sortitur propriam existentiam creatam, sed existet existentiâ Verbi increatâ, consequenter Christi humanitas nihil temporale, nihil creatum, nihil verè productum de novo referret, præter unionem temporalem verbi cum Essentia humanitatis præexistente ab æterno, nisi fingas æternam illam Essentiam, quam Christo tribuis ab æterno, secundò repetitam & productam iterum in tempore & sic fieri creatam, id autem absonum esse, vel palpo discernere posset, ac propterea *Suarez* l. c. num. 5. dicit: quod *nullus Catholicus existimare potest, illam rem essentiæ humanitatis, dum id totum, quod in ea concipitur præcisa existentia ex æternitate habere actu illam entitatem, solumque defuisse unionem ad verbum.*

372

Quartò probatur Assertio argumento quod *Doctor* profert d. 36. §. *Concedo conclusionem.* num. 6. probans à scientia visionis contra *Henricum*, creaturas possibiles eò ab æterno non esse quid reale positivum, ut secundum illud esse sunt objectum Divinæ scientiæ, quam dicunt simplicis intelligentiæ, vel omnes rationes, quæ militant pro positiva realitate entis possibilis ab æterno in esse essentiæ, æque militare pro positiva & reali esse existentiæ ab æterno. Argumentum hoc est: Intellectus divinus ab æterno intuetur existentiam creatam, *quia*, inquit Doctor, *secundum Augustinum 5. super Genesin 7. non aliter novit Deus facta, quàm fienda. Præcognovit igitur esse existentiæ, sicut esse essentiæ, & tamen propter istam relationem fundatam non concedet aliquis, esse existentiæ verum realè fuisse ab æterno; ergo pari ratione non est concedendum de esse essentiæ*, scilicet eo quod sit objectum intellectus divini attingentis objectum uti est. Ex quo sic arguitur: hæc propositio, quæ est in materia necessaria: *Existentia ab æterno est non repugnans, ut existat in tempore*, non requirit ad sui veritatem aliquid reale positivum existentiæ ab æterno, aliàs enim daretur ab æterno aliquid reale positivum existentiæ creatæ, quo proinde res ab æterno etiam existentiam habuissent: ergo neque hæc: *Ab æterno Essentia est actu non repugnans ut sit in tempore*, ad sui veritatem non requirit aliquid reale positivum ab æterno, est enim utrobique suppar ratio, cum certum sit posse verificari complexiones de ente nominali data sola non repugnantia negativa Entis ad existendum.

Ad hoc argumentum, ne recedant à suo esse reali positivo possibilitatis ab æterno respondent existentiam ante sui productionem in tempore æque ac ipsa Essentia obtinere prædicatum aliquod positivum potentiale, non autem exercitæ actualitatis.

Volo exactè eruderare hanc difficultatem, quæ quia eruditam & peritam exigit discussionem, studium hoc extendere, & aliorsum paulisper digrediamur, oportet.

Sit itaque

* * *
* *

DIGRESSIO INCIDENTALIS.

Num exiſtentia ſubeat poſſibilitatem in hoc ſenſu, quod ab æterno ſortiatur prædicatum aliquod reale poſitivum potentiale, ad modum ſupradictum de Eſſentia ab aliis aſſertum, vel in alio hoc ſenſu, ut ſubeat duntaxat poſſibilitatem per modum ultimi actus, & ultimæ rationis quæ ſit ſolum connotatum poſſibilitatis ut ultimus Eſſentiæ terminus, in quo fiat ſtatus poſitionis & realitatis Eſſentiæ?

373 *Mayron. Brinzennus. Baro. Mens quorundã, quòd detur exiſtentio conceptus potentialis.*

EX Antiquis Scotiſtis *Mayronius*, ex Recentioribus *Brinzenno*[a] & *Baro* tractarunt hanc difficultatem, quæ ſereno opus habet ſcrutinio; Pro primo ſenſu multa congerunt argumenta, quæ ad pauca reduci poſſunt. *Primo* quidem argumentum ſtatim à nobis adductum ſic retorquent: non ſolum Eſſentia eſt non repugnans, ut exiſtat in tempore, ſed etiam exiſtentia & actualitas: ergo ſicut eſſentia manet intra eminentialem Dei continentiam, ita & exiſtentia, adeoque eſto referat prædicatum ſicut Eſſentia reale poſitivum poſſibilitatis, non tamen actuale exercitium poſitionis. *Anteced.* præterquam jam eſt in confeſſo, inſuper patet: nam exiſtentia Angeli v. g. ante actualem productionem aut eſt repugnans ad exiſtendum, vel non eſt repugnans? ſi repugnans; ergo Angelus eſſet impoſſibilis etiam quoad Eſſentiam, utpote, quia nulla ratione ob repugnantiam ad exiſtendum ab eminentia cauſæ extrahibilis eſſet. Si non repugnat; ergo datur quidditativus exiſtentiæ conceptus potentialis, & non repugnantiæ exiſtentiæ ad poſtea exiſtendum; falſum proinde eſt, eſto exiſtentia ſubeat potentialitatem, quod pro illo ſtatu & ante productionem in ſuo conceptu referat actuale ſeu ultimum poſitionis exercitium extra cauſas.

Secundo ſatis impertinenter arguunt: ſi actuale exercitium ponendi res in eſſe eſſet de quidditate exiſtentiæ, nunquam, ne quidem à Deo exiſtentia deſtruibilis eſſet. *Seq. prob.* ob nullam enim aliam cauſam rationalitas à Deo auferri nequit, ut maneat homo, quia rationalitas eſt de quidditate ejus: imò quod Deus deſtrui non poſſit, eſt, quia exiſtentia eſt de Eſſentia ipſius & prima radix primò conſtitutiva & ultimo deſtructiva Deitatis, ut docuimus Controv. 11. q. 8. n. 71. & ſeq. ergo ſimiliter, ſi actuale exiſtendi exercitium ſit de quidditate ipſius exiſtentiæ, ipſa non poſſit à Deo deſtrui.

Tertio adducunt hoc argumentum: pro eo ſigno rationis, quo Deus decrevit producere Angelum vel non producere, habuit quidditativam & comprehenſivam exiſtentiæ cognitionem: at tunc non cognoſcit exiſtentiam ut actualiter exercitam, quia aliàs exiſtentia eſſet, antequam eſſet creata; ergo apprehendit illam, non ut exercitam, ſed ut adhuc poſtea exerceri poſſibilem. His non obſtantibus

Dico primo. Suppoſito, quòd ens in actu, & ens in potentia, ſe habeant per modum dividentis, dicendum exiſtentiam eſſentialem poſitam eſſe in exercitio actuali, ſeu modo, qui non præfuit in potentia, in primo ſenſu accépta.

374 ANte probationem ſuppono cum communi, quod Eſſentia vi ſui præciſi conceptus dicat formalem poſſibilitatem, ſeu aptitudinem & non repugnantiam ad exiſtendum, cùm alioqui Eſſentia v. g. animal rationale non eſſet formaliter poſſibile exiſtere, nec ulla Eſſentia, prout importat connexionem prædicatorum eſſentialium, contra omnem Scholam & rationem, dico autem, quod *formalem* importet aptitudinem, non enim ſolum eſſentiæ rerum ſunt fundamentaliter non repugnantes ad exiſtendum, quaſi formalem aptitudinem ad exiſtere aliunde ab ipſa ſcilicet emendicant exiſtentia, res enim quæ relinquuntur in claſſe poſſibilium, & quibus Deus liberè denegat exiſtentiam in tempore non eſſent formaliter poſſibiles, quod meritò contradicitur à toto Theologorum cœtu. Hoc ergo ſuppoſito, quod Eſſentia de ſe ſit formaliter poſſibilis exiſtere.

Probat Aſſertionem Brinzenno *Controv.* 1. & 12. utrobique in *Appendice* Met. art. 2. in prima, n. 22. & ſeqq. in 12. art. 1. n. 75. & ſeqq. & cum ipſo noſter *Baro Apolog.* 7. *Metaph. actione* 6. per totum. Probat primò: ſi quidditativus conceptus exiſtentiæ in actuali exercitio poſitus non eſſet, indubiè aſſignabilis illi foret ratio vel effectus aliquis formalis, qui pro ſtatu ſuæ poſſibilitatis exiſtentiam redderet potentem ſeu poſſibilem ad poni in exercitio actuali, ſeu ad exiſtere. Hæc *major* patet: atqui nullus hujuſmodi effectus illi eſt deferibilis. *Min. prob.* aliàs non poteſt aſſignari præter non repugnantiam ad exiſtendum, quod faciat exiſtere aptam in

in tempore: *major* iterum patet: sed hunc non habet: *prob. min.* ipsa Essentia importat hujusmodi non repugnantiam, prout talis est formaliter, ut ostendimus ex communi omnium doctrina in *præsuppposito*: ergo non præfert illam existentia stante hypotheſi, quod ens in actu condividat ens cum ente in potentia, cui quatale est, & quatenus importat non repugnantiam ad existendum, nihil addi potest, præter ipsum actuale positivæ realitatis exercitium.

Confirmatur: De facto inter Essentiam, qua quidditas rei est, & inter existentiam, qua est positivæ realitatis exercitium, non datur media aliqua forma; ergo impossibilis est pro statu possibilitatis alia forma, aut quasi forma potentialis, etiam ratione distincta, quæ existentialis possibilitas dicatur.

376 *Probatur* & confirmatur secundo: si existentia essentialiter non imbibat exercitium actualitatis, aut per suam essentiam exercita non esset, erit indubiè necessarium, ut illi aliqua alia forma addatur, per quam contrahatur ejus potentialitas, seu illius existere signatum ad existendum exercitè, aliud enim dici non potest: dicergo secundum hoc tuum principium, illa alia forma contrahens existentiam potentialem ad esse exercitum & actuale, vel est seipsa in actuali positivæ realitatis exercitio, vel non? si sic; sanè debebis dicere, quod non habeat statum possibilitatis, cur autem, ut arguit optimè *Baro* l.c.num.2. id de addita forma dicis, & non de ipsa existentia? tu de addito dicis inesse illi aliquid realitatis & positionis exercitæ, quale ab æterno non præfuerit ante rei productionem in statu possibilitatis, dicis, inquam, ne in ineluctabilem incidas errorem, existentiam, quoad omnem positivum exercitæ suæ causalitatis gradum, adeoque entia creata ab æterno extitisse, sed cur hæc eadem ratio non tam ipsi quadrat existentiæ? si ergo rationabiliter philosophari velis, quod de addito dixisti, de ipsa dic existentia, nisi fortè velis secundum, quod illud additum se ipso non sit in actuali positionis exercitio, & tunc non solum abibis in processum infinitum additamentorum, sed nec ipsa infinitas sufficiet, ut vel unica musca actuari posset.

377 *Solutio objectionis & probatio assertionis per retorsionem.* *Probatur* tertio & destruitur objectio tertio loco sub n. 373. allata pro eo signo, quo Deus v. g. Angelo in possibilibus relicto decernit denegare exercitium positionis, non denegat illi possibilitatem ad existendum, aliàs excluderet ipsum ex classe possibilium, quod est falsum, consequenter actuale existendi exercitium denegat: ergo pro tunc apprehendit Deus existentiam secundum actuale exercitium denegandum. Subsumo: pro illo priori, quod nobis objiciebas, Deus habuit quidditativam & comprehensivam existentiæ cognitionem, antequam esset creata: sed Deus pro illo tunc habuit cognitionem existentiæ actualiter exercitæ, illam enim solam negavit, quam negandam apprehendit, sed non apprehendit negandam tuam possibilem, ergo Deus existentiam etiam pro statu rerum possibili cognovit ut exercitam, non quasi in potentia, & non exercitam, quæ non est, aut esse potest.

Confirmatur ex acutissima doctrina *Mayronii* vulgò intitulati in Academia Parisiensi, *Doctor illuminatus* 1. d. 42. q. 4. §. *Quantum ad secundum principale oportet videre de quæsito*, ubi sic discurrit: Contra istud arguo, & quantum mihi apparet evidenter. Ubicunque est invenire actualem existentiam in aliquo, impossibile est, quod illud non existat; sed per te est in venire actualem existentiam in aliquo antequam producatur: ergo formaliter existit, antequam producatur. 378 *Mayron Doctor illuminatus*

Dicunt aliqui, quod optimè argueretur, si eodem modo actualis existentia esset in potentia objectiva, quo est in actu; sed non est, sic, est enim actualis existentia in potentia objectiva potentialiter, in actu verò est actualiter. Sed istud evidenter concedit propositum; nam accipio illum modum, quem tu vocas per actualiter, quem negas in potentia objectiva; & tunc arguo sic. Ubicunque habet esse actualis existentia, & actualiter, illud est formaliter existens; ista per te vera est, ideò enim post creationem illud actualiter existit, quia actualis existentia ibi est actualiter; non autem sic in potentia objectiva, quia, ibi est potentialiter, patet ergo major accepta. Sed in potentia objectiva habet sic esse actualis existentia & actualiter; ergo in potentia objectiva aliquid est formaliter & actualiter existens. *Minor* declaratur ex dictis; quia per te quidquid positivum, sive modus, sive res, sive quidditas, quod est post productionem in actu, est ante productionem in potentia objectiva. Et sic illud, quod dico actualiter, per quod intelligo aliquem modum, est in potentia objectiva; & sic habetur conclusio intenta, scilicet, quod aliquid est formaliter existens. NB. *Habetur intentum, quia deveniatur est ad id, quod post productionem est in actu.*

379 Hoc discursu manifestè ostendit Doctor citatus ea, quæ in superioribus argumentis deducta sunt ad lucem, scilicet impossibile esse, ut sit existentia in potentia, & non in actu, sicut impossibile videtur, quod sit unio, quæ tantum potentia & non actu uniat, tali enim unioni, dato quod non per seipsam & suam essentiam extremè uniret, sed effectus illius formalis maneret quasi adhuc in componibilitate extremorum, tunc necessario addenda foret alia unio, qua unio ista prima quasi contraheretur ad uniendum extrema, & sic vel in infinitum iretur, vel si in ista secunda sistendum esset, non est ratio, cur non etiam in prima; ita si existentia sit in potentia & non in actu, alia existentia actualis illi danda, quâ contraheretur ad actu existentiandum, & sic in infinitum, vel illa prima, quam dicis esse in potentia, necessariò in actu erit, implicat enim existentiam actualiter esse, ut dicis, in potentia, quæ actu non sit. Ex his itaque

***
**

Dico

Dico ſecundò. Exiſtentia, quam Deus Angelo v. g. dandam aut denegandam, concepit ab æterno, quamque ſtatuimus non referre formaliter poſſibilitatem, connotativè per poſſibilitatem eſſentiæ exprimitur, quatenus dicit id, ad quod deducitur Eſſentia, id eſt, ad ultimum actum & rationem formalem, in qua fit ſtatus totius realitatis contrahentis Eſſentiam (quæ de ſe erat potentialis ad eſſe vel non eſſe) ad eſſe actuale & exercitum.

380 HOc aſſertum, præter ea, quæ pro primo aſſerto adducta ſunt, aliâ non eget probatione, ſed explanatione, cum enim id, quod eſt ens in potentia & poſſibile ſolum ut exiſtat, non ſit exiſtentia, ſed eſſentia, quæ per ordinem ad actualem exiſtentiam explicatur, nam ens poſſibile eſt id, cui non repugnat exiſtere, fit quod exiſtentia, quam connotat eſſentia, ſaltem referatur per poſſibilitatem connotativè, ſitvè connotatum eſſentiæ, ſeu terminus contrahens poſitivè illius poſſibilitatem ad ultimum actum formalem. Itaquè quando nobis objicitur, exiſtentiam ante productionem non repugnare, ut exiſtat, non ſubeat tibi, quod ideo ſit formaliter ens in potentia, quemadmodum eſt eſſentia, non enim non repugnantia ad exiſtendum, quæ conſequitur ad conceptum exiſtentiæ eſt per modum actus primi & contrahibilis, ſed per modum actus ſecundi & contrahentis.

Exiſtentia per poſſibilitatem refertur connotativè.

Unde *Mayronius* l. c. ſubinferius: exiſtentia, inquit, non deducitur de non eſſe ad eſſe, ſed exiſtentia eſt illud eſſe, ad quod ipſa eſſentia producibilis per productionem producitur de non eſſe ad eſſe. Impoſſibile enim videtur, quod eſſe tranſeat de non exiſtentia ad exiſtentiam, ſed ſola eſſentia eſt illa, quæ ſic deducitur, & ſtatim ad objectionem, *quod omne productum fuerit prius producibile*, dicit, id rectè intelligendum de illo, ſcilicet, quod ſic producitur, & ad eſſe deducitur, ut ſimul ad aliud eſſe deducatur, ſecus de illo, quod non producitur ad aliud eſſe.

381 *Ex his* noſtrum pronunciatum breviter probatur hac ratione: non quælibet repugnantia ad exiſtendum infert poſſibilitatem, ſed illa (quidquid denique dicat ens poſſibile) quæ eſt per modum ſubſtrati potentialis, id eſt, per modum entis in potentia contrahibilis ab actu exiſtentiali, tanquam ultimo actu & ratione formali dante ſtatum ultimæ ſuæ actualitatis ſeu contrahente potentialitatem eſſentiæ ad poſitionem: atqui talis non eſt non repugnantia exiſtentiæ ad exiſtendum, major eſt in aperto. Priuſquam progrediar ad *minorem*, ſubſiſte paulìſper in eo, quod addidi (*quidquid denique dicat ens poſſibile*) quia nolo hîc determinare, ſitne non repugnantia ad exiſtendum, quam importat poſſibilitas eſſentiæ per modum per ſe ſtantis, vel neceſſariò præexigat aliquid poſitivum, cui talis negatio per modum formæ innitatur velut ſubſtrato alicui reali & poſitivo, ſuppoſito enim, quod cognoſcas, ſicut cognoſcere debes, in ente, quod eſt in potentia, duplicem poſſe negationem conſiderari, alteram negationem non repugnantiæ ad exiſtendum, alteram verò negationem ipſiuſmet actus exiſtentialis, quæ ſecunda perit accedente actu, non prima, quia non repugnantia ad exiſtendum non pugnat, nec repugnat, ut res exiſtat, hoc, inquam, quod cognoſcas, ſuppoſito, ſufficit hoc loco, quod dicamus, non eſſe de ratione negationis ut ſic, & ſumpta in tota ſua latitudine, ut præexigat ſubjectum, cui componatur, nam hoc quidem currit in iis negationibus, quæ ſe tenent ad inſtar accidentium, ut eſt cœcitas in oculo, & privatio gratiæ in anima Judæ, id tamen fallit in illis negationibus, quæ ſunt non eſſe ſubſtantiarum, ut in negatione lapidis, hominis & cæt. quæ dicta ſint occaſione *majoris*, jam ad *minorem*: quod non ſit de hujuſmodi iſthæc non repugnantia exiſtentiæ ad exiſtendum, probatur ex dictis, quia hæc non repugnantia ex parte objecti conſequitur poſitivum exiſtentiæ, quod eſt per modum ultimi actus, & ultimæ formæ poſitionis, in qua completur & perficitur ſtatus totius realitatis deducentis eſſentiam ad eſſe, conſequenter non eſt id, quod producitur ad eſſe per aliud eſſe, ſed eſt eſſentialiter ipſum eſſe, ad quod productum reduci & deduci oportet, ut dicatur eſſe extra cauſas, & in eſſe exercito.

Ex his ſolvitur argumentum primo loco objectum, ſub num. 373. eſto enim non ſola eſſentia dicat non repugnantiam ad exiſtentiam, ſed etiam exiſtentia dicat non repugnantiam, illa tamen non eſt per modum entis in potentia, ſed per modum entis in actu, ad quem conſequitur.

Si verò inſtas innegabile eſſe, quòd non repugnantia exiſtentiæ anteeat productionem exiſtentiæ, vel ſit ante productionem exiſtentiæ, ſiquidem non eſt exercita, adeoque actuale poſitionis exercitium non eſt de formaliſſimo & ultimo conceptu exiſtentiæ. *Reſpondeo* nos non dicere, quod actuale poſitionis exercitium ſit de conceptu exiſtentiæ antequam extrahatur ab eminentia cauſæ, ſed ejus extractione & productione ſuppoſita, ſicut dicunt opponentes modos extrinſecos formaliſſimè & eſſentialiter conſtitui per modificationis exercitium, actualis enim modificatio ſubjecti intrat modalis formæ rationem conſtitutivam, propterea tamen nemo benè inferet, eſſe modum ſubjecto modificabili compoſitum ante ſuam productionem, unde quando infers & inſtas exiſtentiam

stentiam ante productionem non repugnare, ut existat, atque adeo quod non repugnantia existentiæ anteeat productionem existentiæ (de quo dubio in asserto sequenti) adhuc non sequitur existentiam formaliter esse ens in potentia, quia pro illo priori, in quo nondum est extracta extra eminentiam causæ quidem dicit non repugnantiam ad essendum, sed non illam, quæ quasi obtendit vel innuit quoddam per modum potentiæ contrahibilis ab ultimo actu entitativo, sed per modum actus secundi & contrahentis potentialitatem ad positionem, neque hoc debet mirum videri cuipiam, quia produci in tempore, aut nondum esse, vel non esse productum, ac proinde adhuc remanere in statu possibilitatis, ut ens possibile, non dicit non repugnantiam existentiæ ad esse, seu producibilem existentiam ut ens in potentia, quod reducatur ad esse, non ita concipienda hæc non repugnantia, sed dicit ipsam essentiam possibilem ut connotantem existentiam, ut etiam antequam producitur existentia, nihil dicat nisi connotatum possibilitatis essentialiter involvens actualitatem, qua dat enti in potentia, ut sit ens in actu exercito. Ad melius hoc declarandum

Dico tertiò. Quidquid asseritur sub nomine existentiæ aptitudinalis seu non exercitæ, non existentiam, quæ est illud, ad quod ens in potentia reducitur, sed variata hypothesi ingerit essentiam, ut est in statu possibilitatis, & reducibilis ad existentiam ut terminum & connotatum possibilitatis.

303 HOc pronunciatum valdè imminuit, si non omninò evacuet vim argumenti objecti, dispellit enim tenebras, quas cognatio essentiæ cum existentia mentibus nostris offundit, dum non discernitur inter id, quod potentiale est, & id quod à sua essentiali ratione habet, ut contrahat potentialitatem ad essendum, seu quod idem est, dum id, quod imbibit essentialiter exercitium positivæ realitatis confunditur cum illo, quod tale exercitium excludit, eo prorsus modo, quo disputatores de distinctione essentiæ ab existentia, dum quærunt distinctionem inter essentiam & existentiam, non distinguunt de essentia actuali, quæ est ipsa realiter existentia, & de essentia ab æterno, quæ est ens in potentia, mihi enim certissimum est, nullum Catholicum Doctorem velle, quod res ab æterno fuerint existentes, ergo nec existentia fuit ab æterno, quando autem dicunt existentia ab æterno fuit signata & potentialis, jam variant hypothesin, & relicta existentia, quæ actum involvit, est enim ipsa Essentia actualis & exercita, transeunt ad essentiam, quæ est in potentia, & actum excludit; vides ergo, quod existentia, quam signatam vocant & potentialem, non est existentia, quæ necessariò habet suum esse debitum, sed est non existentia, id est, Essentia est, sed signata nondum actuata, nondum extra causas posita; uno verbo, existentia non est ante seipsam existentiam, adeoque nunquam in statu possibili, semper in actuali. Et quemadmodum de ideis diximus *Controv.* 13. q. 4. assert. 2. num. 336. quod idea, id est, Essentia, quæ est ab æterno, distinguatur ab actu existentiali realiter negativè seu distinctione reali potentiali, ita hîc dicendum, ut alterum distinctionis membrum sit ab æterno & in potentia, alterum in tempore ita, ut ab æterno & in potentia seu ante seipsum esse non possit membrum alteri, quod in potentia est, oppositum.

Existentia possibilis non est nisi Essentia.

Huic fundamento innixus *Baro* noster Apol. 7. Met. art. 6. num. 3. ad objectionem, quâ urgebatur, existentiam Petri ante actualem suam productionem prius fuisse possibilem, haud inpositè, sed scitè respondet existentiam Petri fuisse possibilem, non in seipsâ, quia in seipsâ semper est exercita, sed in essentia ejus, quod statim, inquit, obtundit aciem argumenti, & ostendit solutionem conjunctam probationibus. *Baro.*

Eventilantur Argumenta sub num. 373. allata.

384 IAm redeamus ad argumenta, quæ jam tum ex situ suo sunt dejecta, primum siquidem & nervis solutum, & fibris est exutum, quidquid enim affert primo & secundo pronunciato diluitur: quando autem dicitur existentia Angeli ante actualem productionem aut est repugnans ad existendum, vel non est repugnans; possibilis vel impossibilis: responsum habes in hoc ultimo pronunciato, fuisse possibilem in essentia possibili, quatenus nimirum nequit esse essentia existere possibilis, nisi qua monstret possibilitatis connotatum, quod est existentia, quæ sicut non est conceptus connotans sui ipsiusmet, ita non est in potentia, sed duntaxat possibilitatis connotatum.

Posset ad hanc eandem instantiam & aliter responderi, scilicet quòd existentia ante sui productionem nec sit possibilis, nec impossibilis, eò quod hæc fortè non sunt contradictoria, de quo videri potest *Brinzenno Cont.* 12. in *append. num.* 103. *& seq.* nos de hoc agemus infra num. 398. & seq. ubi, si aliud quispiam desiderat responsum ad instantiam, adire licebit, actum inveniet. 385

Ad

386 Ad ſecundum ſub num. 373. quod eſt exigui ponderis, reſponſio obvia eſt, ſequela eſt enim falſiſſima, quod ſuppoſita noſtra doctrina de actu exiſtentiali, ne quidem à Deo exiſtentia foret deſtruibilis, ex eo enim quod non poſſit dari exiſtentia, niſi quæ actu eſt, & actu dat rebus eſſe, non ſequitur ipſam non poſſe tolli aut deſtrui, nam quod neceſſitate conſequentiæ neceſſarium ſit, ſi detur, quod detur cum exercitio poſitionis non facit eſſe neceſſe eâ neceſſitate, quâ ſolus Deus exiſtit neceſſariò, ut perperam urgetur argumento, ſcilicet neceſſitate antecedenti, quod ſimpliciter neceſſariò detur, cum ipſa non ſit ens neceſſarium, ſed contingens: damus itaque & dicimus non poſſe exiſtentiam ſine actuali exercitio poni, negamus illam non poſſe deſtrui, etſi non poſſit deſtrui non deſtructa exiſtentia, quomodo nec poteſt deſtrui actualis modificatio ſubjecti modo non deſtructo, quod non eſt auferre ſeu tollere exercitium actuale ab exiſtentiæ quidditate, ſed quidditatem poſitivam, re pereunte perire, quomodo pereunte homine perit quidem quidquid eſt poſitivum animalis rationalis, non tamen ſeparat connexionem prædicatorum eſſentialium animalis ſcilicet & rationalis, ut conſideranti patet evidenter, ſic exiſtentia quamvis eſſentialiter conſiſtat in actuali exercitio, quo ſuperſtite ipſa non poſſit non eſſe ſuperſtes, illo tamen pereunte, & illam neceſſe eſt deleri, & non duntaxat ſeparari ab exercitio variando eſſe actuale in potentiale.

Ad tertium vide reſponſum ſupra ſub primo pronunciato n. 377. Probatione tertia.

Reditur ad Quæſtionem ſecundam & Aſſertionis in Art. 1. probationem quartam.

MAnet itaque in ſuo robore quarta probatio pro aſſertione prima quæſtionis ſecundæ, quòd ſicut creaturæ non habuerunt ab æterno aliquod reale poſitivum eſſe exiſtentiæ, ita nec aliquid reale poſitivum eſſentiæ, vel rationes quæ militant pro eſſe æterno actuali eſſentiæ etiam ſtare, quod eſt contra fidem, pro eſſe actuali exiſtentiæ ab æterno, quam probationem confirmo argumento ſequenti, &

387 *Eſſentiæ rerum nõ æternant exiſtentialiter.* *Quintò* probatur Aſſertio id quod ponitur ab æterno extra Deum, eſt ab æterno exiſtens: ſed eſſentiæ rerum ſi ponantur habere verum eſſe actuale & reale in ſeipſis ab æterno, ponuntur extra Deum: ergo ab æterno ſunt exiſtentes, quod eſt contra fidem. *Minor* eſt ipſa opponentium doctrina. *Major* probatur, eſt impoſſibile eſſe quidpiam actuale, & non habere effectum actualitatis, ſed effectus actualitatis eſt actu facere exiſtere: ergo ſi actualitas conveniat eſſentiis rerum ab æternitate, præſtabit utique illi effectum ſuum formalem.

Confirmatur: Stare extra cauſas, extra Deum eſt exiſtere, ſed quod eſt actuale ſtat extra cauſas, ſtat extra Deum: ergo illud eſſe actuale rerum ab æterno exiſtet, conſequenter eſſentiæ ab æterno non erunt ſub ſtatu poſſibilitatis, quod eſt abſurdum.

Plures rationes pro noſtra doctrina vide apud ipſum *Scotum* & Scotiſtas paſſim, de quibus Lalemandet in *Metaphyſ.* ſua d. 7. *partione* prima, ſub deciſ. 1. §. *Præter autem dictas rationes*, ait, rationes *Scoti* hactenus manſiſſe *fluides & inſolutas*, & ſubinferius §. *Tædet nos dicere*, ait, *Albertinum*, contra Scoti rationes nihil ſolidum attuliſſe oſtendimus. Procedamus itaque ad alia his contigua.

ARTICULUS II.

An logica poſſibilitas rectè explicetur per connexionem extremorum conditionalem, ſcilicet ſi poſſibile poneretur nulla ſequeretur contradictio, ita quod eſſentia poſſibilis in eo ſit, ut ſi ponatur in eſſe actuali, inde nequeant duo contradictoria inferri.

AFfirmativam præter illos, quos citavi hac *Controv.* q. 1. art. 1. num. 346. tenet *Suarez* in ſua *Metaph.* d. 31. Sect. 12. à num. 39. uſque ad num. 47. de quo opinandi modo *Veken* l. c. ſic pronunciat: non eſt modus melior clariorque id exprimendi, quàm per judicium illud conditionale, quod ſi actu ponantur, contradictionem non involvunt. Sit

* * *
* *

ASSER-

ASSERTIO II.

Descriptio entis logicè possibilis per connexionem necessariam extremorum, non est revocanda ad sensum conditionatum vel hypothesin existentiæ & realitatis positivæ terminorum, (*si ponatur ens possibile in esse actuali, nullam inferret contradictionem,*) sed ad sensum absolutum, quatenus absolutè utrumque extremum actu importat connexionem cum non repugnantia ad existendum.

388 *Definitio & definitum homogenea.*

PRobatur Assertio contra *Mastrium* & *Sichen* Scotistas cit. logica possibilitas est ab æterno: ergo nequit describi per conditionatum sensum, *si esset* & cæt. antecedens conceditur ab omnibus, hinc enim est, quod illa connexio extremorũ possibilium dicatur necessaria & æterna veritatis: *conseq.* prob. ubi est definitum absolutũ, definitio nequit esse conditionata. *Major* ista patet, quia definitio & definitum se habent ut mensura & mensuratum, quæ debent esse homogenea, unde rectè *Baro* l. c. innuit Auctores contrariæ opinionis metiri longitudinem per pondus: sed essentiæ rerum ab æterno sunt quid absolutum ex *Scoto* 1. d. 36. q. unica, §. *Ad secundum dico.* num. 10. *productio ista*, loquitur de esse cognito entis possibilis, *est in esse alterius rationis ab omni esse simpliciter & non est relationis tantum, sed etiam fundamenti absoluti*, & §. *Ita in proposito* ejusdem dist. num. 14. *Possibilitas logica absolutè ratione sui posset stare, licet per impossibile nulla potentia eam respiceret*, consequenter licet ista conditio de actuali productione positionis non poneretur, nihilominus adhuc intelligitur stare quidditas rerum logicè possibilium, qua tales sunt, ergo & cæt.

Baro.

Scotus.

389 Probatur *secundo*: Descriptio illa per sensum conditionalem convenit tam possibili contingenti seu connexioni terminorum contingentium, quàm connexioni terminorum necessariæ, quæ dicitur æternæ veritatis: ergo illa non est adhibenda. *Anteced.* prob. veritas de hoc contingenti, *homo existit*, tam certa & vera est, supposita per conditionem existentia hominis & humanitate, quàm hæc de necessario: *Homo est animal rationale*, nec satisfacit *Mastrius* l. c. N. 34. quòd licet per istam conditionalem æque explicetur possibilitas contingentium, quam connexionum necessariarum, quia contingenti complexioni, *homo existit*, commune est cum necessariis, quod non sequatur contradictio si existat, ni necessariis tamen conditionalis illa ulterius exprimit, quod si existeret homo, existere deberet cum talibus prædicatis scilicet animalitate & rationalitate, & in quocunque instanti ponatur, cum tali prædicatorum connexione poni debet.

Contra. Habitudo terminorum utrobique pro omni instanti est conditionata, quod nullum sequatur contradictorium, si ponatur in esse actuali: sed homo existit pro omni instanti, quo ponitur homo in esse actuali, nullum dicit contradictorium, imo tam implicat illum poni sine connexione cum prædicato existentiæ, quam si ponatur, non poni cum prædicato animalis & rationalis: ergo quoad hoc non rectè explicatur possibilitas logica per sensum conditionatum.

390 *Mastrius impugnatur.*

Probatur tertio. In hac opinione hæc connexio extremorum, *homo est animal*, esset contingens, estque idem de omni alio ente possibili. *Sequela* prob. illud est contingens, quod non est necessariò verum, nisi per suppositum contingentis, sed hæc connexio *homo est animal*, non est vera, nisi supposito hoc contingenti conditionali, *si existeret talis eorum connexio, nulla sequerentur inde contradictoria, quia hominem esse possibilem Logicè aliud non est*, ait Mastrius l. c. N. 33. *Quam quod si existeret connexio animalis cum rationali, nulla hinc sequantur contradictoria*: ergo talis connexio terminorum non erit necessaria simpliciter, sed simpliciter contingens, & necessaria secundum quid, est enim necessitas illa essendi non absoluta, quia ex hypothesi & conditionatè tantum enunciat, quod homo sit animal, supposito nimirum quod si existat illum animal esse, non dicat contradictionem, consequenter horum terminorum mutua habitudo tunc prius non necessario nascitur ab æterno. A quo autem nascatur oppositio & differentia quæ intercedit inter ens possibile & impossibile, dicetur infra.

Nulla connexio terminorum in opinione Mastrii est necessaria simpliciter.

***

Reſpondetur Rationibus *Maſtrii*.

391 *Maſtrius* ſe fundat in dicta conditionali, & probat ita: *ut ſciamus*, inquit, *an aliquid ſit impoßibile, nihil aliud inquirimus, niſi num ex eo, quod exiſteret, contradictoria ſequerentur, quæ ſi ſequuntur, ſtatim dicimus illud non eſſe poßibile*, ſed malè; quia Doctor in hoc textu 1. d. 43. q unica. §. *Quantum autem ad impoßibilitatem.* num. 6. *falſa eſt imaginatio quærentium impoßibilitatem aliquorum, quaſi in aliquo uno, quaſi aliquid unum, vel intelligibile vel qualecunque ens ſit ex ſe formaliter impoßibile, ſicut Deus eſt neceſſe eſſe formaliter, nihil enim eſt tale primum in non entitate*, expreſsè innuit impoſſibile non eſſe aliquid unum, ex quo, ſi exiſteret, contradictio ſequeretur, ſed dicit illam naſci ex conventu plurium in ſe poſſibilium, ſed inter ſe repugnantium, à quibus ſic inter ſe non componibilibus, non per conditionatam ſed abſolutam repugnantiam habeatur radix poſſibilitatis; *Dico*, inquit Doctor l. c. *quod impoßibilitas non poteſt eſſe primò ex parte Dei, quia ipſa res eſt impoßibilis, propter repugnantiam ejus ut fiat*, non dicit, propter repugnantiam, quæ eſſet, *ſi fieret*, ſed repugnantiam, *ut fiat*, qualis abſolutè emergit ex rationibus in ſe poſſibilibus, & impoſſibilibus, ut coëant in unum ſive tertium chymericæ alicujus conſtitutionis: ergo ſicut chymera repugnantiam abſolutè dicit ad eſſendum, ita ens poſſibile non repugnantiam abſolutè dicit ad exiſtendum.

Impoßibile non conſiſtit in aliquo uno.

Ad aliud, quod ex *Ariſtotele* 9. met. textu 7. & *Scoto.* 9. met. q. 2. ad argumenta primæ quæſtionis adducit, nihil eſt contra nos, quia Doctor, ut ibi patet num. 12. non loquitur ibi de potentia logica, quæ habet annexam negationem ipſiuſmet actus exiſtentialis, de qua agimus in præſenti, cum aliàs conditionalis illa *Maſtrii* locum non haberet, ſed agit de potentia logica quæ ſtat cum ipſo actu exiſtentiali, ab actu ſiquidem datur conſequentia ad potentiam, quæ ſic accepta nihil aliud eſt, quam non repugnantia terminorum inter ſe, in quo ſenſu *Scotus* 1. d. 7. q. unica. §. Ad quæſtionem igitur reſpondeo, N. 7. docet, poſſibilitatem & impoſſibilitatem logicam dari in Divinis, ut vis generandi eſt poſſibilis in ſuppoſito Patris, in ſuppoſito Filii aut Spiritus ſancti eſt impoſſibilis, & exinde quia actus infert potentiam hic 9. met. ad q. 1. *Vtrum potentia & actus oppenantur*, ſumebatur argumentum, illa non eſſe oppoſita, quod confirmat ex *Ariſtotele* cit. c. 2. textu 7. dicente: *Poßibile eſt, cujus actus, ſi exſtiterit, nihil eſt impoßibile*, manifeſtum enim eſt, quòd illud quod actu eſt, participet hanc rationem; ergo ipſum eſt poſſibile: eſt ergo illa definitio poſſibilis logici, quæ eſt cum actu, ſeu quæ negationi actualis exiſtentiæ non eſt aſſociata, de qua infra N. 396. patet autem, quod nihil ad propoſitum facit pro *Maſtrio*.

ARTICULUS II.

An logica poſſibilitas rectè explanetur in recto per ipſammet rem, quæ in tempore, ſi Deo placeret, produceretur, dicendo in obliquo connotationem temporis, in quo non exiſtit?

Sichen. Quæſiti hujus affirmativam tenet *Sichen* diſp. 2. *Met.* q. 3. in *dubio.* N. 34. & explicat à ſimili, ſicut, inquit, res futura pro ſtatu futuritionis, dicit illam ipſam rem, quæ poſtea erit, quatenus illa connotat tempus anterius, in quo nondum exiſtit: & ſicuti res præterita pro ſtatu præteritionis importat ipſam rem, quæ fuit, non nudè ſecundum ſe, ſed quatenus reſpicit tempus, in quo amplius non exiſtit, ita quoque res poſſibilis pro ſtatu poſſibilitatis dicit illam ipſam rem, quæ in tempore erit vel eſſet, ſi Deo placeret, quatenus ipſa refertur ad tempus, in quo non exiſtit, *ita ille.*

* * *
* *

ASSERTIO III.

Nulla Creatura possibilis connotat tempus suæ non existentiæ in obliquo.

392. Possibile nequit connotare tempus.

PRobatur: Creatura pro statu possibilitatis considerata est ipsamet res, quæ in tempore producitur, vel saltem produceretur, si Deo placeret, sed implicat, quod hujusmodi res, pro statu possibilitatis connotet tempus suæ non existentiæ: ergo: Major est ipsa hujus Auctoris doctrina. *Min.* prob. id quod destruit statum possibilitatis & ipsam rem possibilem, implicat ab illa connotari, sed tempus non existentiæ, quod connotaretur, destruit statum possibilitatis, & ipsam rem possibilem: ergo & *cæt.* *Major* est evidens, *minor* prob. ab ipsamet tempore possibili, quod dicit non repugnantiam ad suo modo existendum, *sed* tempus possibile destrueret seipsum, si connotet aliud tempus in quo non existat. *Min.* prob. illud enim tempus connotatum, vel esset tempus existens, vel aliud possibile: neutrum absque destructione illius dici potest: *Non tempus existens*: tum quia eo ipso non esset tempus possibile, sed realiter actuale, quale connotari censetur; tum quia implicat tempus possibile connotare tempus existens tanquam partem aliquotam suæ existentiæ, seu partem communicantem ad esse existentiale & ipsum existere determinatum, & ipsum tamen non existat, sicut implicantiam dicit continuum permanens possibile connotare partem continui communicantem, aliquotam & determinatam, & tamen in eo nihil existat actuale continui: ergo est creatura aliqua possibilis quæ non potest connotare tempus suæ non existentiæ consequenter nulla connotat illud, si enim possibilitas salvetur in uno sine tali connotatione, non potest assignari ratio cur non in omni ut patet: non etiam secundum dici potest, quia de illo possibili iterum quæri potest quale tempus connotet, & sic ibitur in infinitum.

Ut eadem minor principalis firmetur ulterius, recole quæ sit natura connotativorum, de quibus, licet non desint Auctores, ut *Hurtado*, *Arriaga*, aliique qui tenent connotativa plurium significativa, illa significare æquè primo per se ac in recto, in proposito tamen, esto, ultro concedamus, quod Creatura possibilis tempus suæ non existentiæ significet in obliquo solum, id est quasi accessorium extrinsecum & secundarium consignificet, certum tamen est, quod Creatura possibilis est subjectum, cui tribuitur connotatio, ita ut accedente connotato, sive illud sit quid positivum reale, sive modale, in connotante oriatur denominatio aliqua, scilicet in ipsa Creatura possibili, etsi tempus connotatum illi sit ut connotanti extrinsecum, ut connotativo tamen quod connotans connotatum & ipsam connotationem involvit, est quid intrinsecum, sicut esto albedo sit extrinseca subjecto, ipsi tamen albo est quid intrinsecum. Hoc supposito dicta minor principalis probatur etiam quoad alias Creaturas possibiles hoc modo: id quod involvit negationem existentiæ non solum in actu exercito, sed insuper in actu signato, involvit repugnantiam ad existendum, sed connotativum, quod pro connotato habet tempus suæ non existentiæ involvit utramque negationem: Minor quoad negationem in actu exercito est extra dubium: alterum membrum, quod negat insit per existentiam in actu signato, prob. etiam: quod exprimit aliquid, ne quidem posse seu repugnare existere, negat existentiam in actu signato, sed quamdiu determinatur Creatura possibilis ad connotandum in obliquo tempus suæ non existentiæ, exprimit non posse existere: ergo: major est certa, repugnantia namque destruit non repugnantiam, ut probetur minor suppono ut certum, quod tempus possibile pro omni instanti, pro quo possibile est possit extra causas poni & fieri actuale: jam sic arguo: tempus illud connotatum in quo Creatura possibilis non existit, vocetur A, tempus autem in quo existere possit, vocetur B, sed implicat quamdiu est sub connotato A, quod possit simul esse sub B, sicut esto idem possit extrinsecè esse simile & dissimile, implicat tamen quando & quamdiu concernit & determinatur ad connotatum A, per quod est simile, posit esse eidem dissimile: ergo saltem extrinsecè contradicit posse existere, pro illo tempore suæ non existentiæ compossito, nam à necessario non esse, qua tali, id est, qua semper & necessario manet non esse, ad nunquam posse actu venire ad actum, valet consequentia, consequenter cum idem Auctor l. c. dicat Antichristi possibilitas nunc existit per hoc, quod importat in obliquo, scilicet tempus illud, in quo non existit, fiet illum qua possibilem, seu qua est sub illo tempore suæ non existentiæ, nunquam existere posse actu, sed semper manere in potentia impedita. Dico *à necessario non esse qua tali* & *cæt.* nam licèt possibile reduplicativè sumptum, qua possibile est etiam non posit esse actuale, sumptum tamen specificativè pro omni instanti in statu possibilitatis involvit non repugnantiam ad existendum, quam destruit aut saltem impedit connotatio actualis ad non existendum.

Connotativum quid importet?

Connotatio temporis annexa possibili, destruit illud.

Confirmatur: Tempus illud connotatum à creatura possibili, vel intelligitur de tempore extrinseco, vel de tempore intrinseco, id est, de ipsâ permanentia Creaturæ possibilis intrinseca in suo esse, & conservatione in statu possibilitatis: neutrum dici potest, non primum: quia ut ostendimus, illud imbibit continuo non existentiam, per actualem connotationem non existentiæ, qua & non existit, & ad existendum manet determinatum, unde fit, quod necessario inferat & negationem existentiæ, sicut non positio lucis, negationem lucis & negationis illius, quam connotatio non existentiæ appellat permanentiam: ergo creatura possibilis ad existendum non connotat tempus, in quo dicat intrinsecè non existentiam illius.

Si dicas, illud tempus non excludere possibilitatem ad existendum, sed solum actualem existentiam, hoc est, quod intendimus: *ergo* jam abstrahit Creatura possibilis à modo seu tempore ipsum determinante ad non existendum, abstrahit, inquam ab illo, quod distrahit non repugnantiam ad existendum ad repugnantiam, saltem ab extrinseco.

Neque potest dici secundum, perspicuum enim est, quod si Creatura possibilis connotet suam permanentiam in suo esse possibilitatis & statum non existentiæ actualis, quod qua talis nunquam posset redigi ad exercitium positionis seu actualitatis, aut potentia non habet conjunctam negationem possibilitatis ad actum, quam connotet in tempore connotato.

393 *Ens possibile involvit indifferentiam ad esse futurum, vel non esse futurum.*

Assertio probatur secundo. Quod refert potentialitatem ad fore vel non fore, seu ad extrahi extra causas, vel concludi intra illas & remansionem in classe possibilium, id nequit connotare tempus suæ non existentiæ magis, quam existentiæ: *atqui* Creatura possibilis qua talis est, refert potentialitatem ad fore vel non fore, hac quippe ratione dicit solam non repugnantiam ad existendum, sive quod possit existere, quod stat cum in differentia illa potentialitatis, quod possit etiam non existere: *ergo* Creatura possibilis qua talis non connotat tempus suæ non existentiæ potius, quam tempus existentiæ. *Major* patet, *minor* probatur: possibile pro illo signo, quo est in statu possibilitatis, adhuc nullo modo est immutatum à Deo vel ad tempus futuritionis, qua ratione dicitur Creatura possibilis pro illo statu attinere ad scientiam simplicis intelligentiæ, quæ merè possibilia spectat, econtra quæ ad fore vel non fore libere immutata sunt, attinent ad scientiam visionis, utpote quæ liberè præmittit voluntati divinæ decretum: sed quod non est immutatum, aut nondum compositum tempori suæ non existentiæ, perspicuum est, non posse illud tempus sui non esse connotare magis, quam tempus sui esse: *ergo*.

394 Probatur tertiò: Creatura possibilis qua talis accipiendo illam, quæ immutabitur ad futuritionem, non differt à seipsa, si non immutaretur ad illam, eaque quà immutatur ad futuritionem, non connotat tempus suæ non existentiæ: ergo nec pro signo priori. Major quo ad primam partem est extra dubium apud hunc Auctorem, quandoquidem Creatura pro statu possibilitatis considerata est ipsamet res, quæ in tempore, si Deo placeret, produceretur, quo ad secundam partem probatur probando consequentiam, quæ jam tum patet ex dictis: ante illam immutationem ad esse, adhuc est indifferens ad esse in tempore, vel ad non esse in tempore, ergo est indifferens ad connotandum tempus, in quo existat, vel in quo non existat, aut certè si indifferens non sit ad utrumque, nunquam posset immutari ad oppositum, ut urget ratio primo loco adducta, & amplius probatur; illo ipso tempore connotatio suæ non existentiæ, vel potest immutari ad futuritionem, vel non; *si sic*; ergo pro eadem differentia temporis posset existere, & non posset: posset ut supponitur, non posset, quia pro eodem & ipsissimo tempore est determinatum ad connotandum in illo negationem suæ existentiæ, non ergo simul est capax pro eodem formæ oppositæ. *Si non posset* immutari ad futuritionem pro illo tempore connotato, in quo non existit, ergo creaturæ intrinsecè possibilis explicatur in ista doctrina per aliquid, per quod fit extrinsecè impossibilis, quod est inconveniens. *Secundo* vel accipiamus Creaturam possibilem quæ nunquam erit futura, sed concludatur in classe possibilium, quæ etsi maneret semper ens possibile de se dicens non repugnantiam ad essendum, esset tamen determinata ad non essendum pro omni tempore, imò pro tota æternitate. Quæro itaque cùm Deus circa illam non habeat se merè negativè, sed exerceat formaliter voluntarium per positivam terminationem suæ voluntatis in objecta, quæ ad non futuritionem destinavit, vel illud objectum, qua possibile manet, connotat post decretum idem tempus suæ non existentiæ, suamve negationem, sicut illam connotabat in tempore, in quo antea similiter non existebat, vel non: *si* dixeris *primum*, frustraneum esset superveniens decretum de nunquam existendo, utique enim illa non existentia, & tempus non existentiæ esset, etiamsi Deus suspendisset affectum circa illud determinandum ad esse vel non esse futuritionis suæ: *Si secundum*, quod non concernat durationem suæ non existentiæ, habetur intentum, quod nullum tempus connotet suæ non existentiæ, cùm redeat Quæstio de uno tempore sicut de alio. Ex his

Probatur quarto. Esto teneatur opinio, quod Creatura possibilis in recto dicat ipsam rem, quæ actu poneretur, si Deo placeret & in obliquo negationem exercitæ existentiæ, omnino tamen non potest referri ad ullam differentiam temporis, illud enim esset vel tempus præsens, in quo nondum existit, vel futurum in

in quo non existet, vel non existit: non præsens, quia sicut tempus præsens, & quidquid in illo ponitur sive negativum sive positivum spectat ad scientiam visionis, non simplicis intelligentiæ, ita, cum ens possibile pertineat ad scientiam simplicis intelligentiæ, prævertit omne tempus adeoque & connotationem illius; unde similiter tempus connotatum non est etiam tempus futurum, in quo non existet vel non existit, quia sicut mensura possibilitatis rerum non est à parte post, sed à priori & ab æterno in dependenter ab omni tempore, quod æternitatem sequitur, ita jam tum quoque prævertit futurum, quod refertur ad objectum scientiæ visionis, itaque connotatio temporis tardius venit, ad complementum extrinsecum entis ab æterno possibilis, cujus totum esse & quidquid concernit, ad objectum simplicis intelligentiæ, est referendum. Fateor tamen hoc argumentum, cum, quod æternum est, concernere possit, rem in tempore futurum, facile solvi posse, ideoque non est illi diutius immorandum, solius exercitii causa aliisque adjunctum. *Porro* quæ hic Auctor ponit de re futura & præterita, quarum prior potius connotat tempus futurum, in quo existet, quàm anterius in quo non existit, & res præterita ex natura præteritionis suæ potius connotat tempus in quo fuit, quam in quo non amplius existit; quidquid tamen de hoc sit, nihil est ad propositum, utraque enim res supponit decretum & spectat ad scientiam visionis; secus est de re possibili, quæ anteit decretum divinæ voluntatis, omnemque consequenter connotabilitatem temporis.

ASSERTIO IV.

Eadem numero Creatura quæ est actualis, fuit possibilis cum omnibus suis gradibus & prædicatis realibus & positivis, eadem, inquam, genere, specie & numero cum illo individuo, quod nunc est, non quòd eadem numero forma subjiciatur diversis statibus possibilitatis & actualitatis, seu existentiæ per identitatem realem & rationem eatenus numericam ut homo v. g. quæ possibilis prædicatur in recto de ipso jam existente, dicendo convertibiliter hic homo existens est idem numero, quà fuit possibilis, & hic homo possibilis est idem, quà erit existens, sicut dicimus, hic homo est Petrus & Petrus est hic homo, non ita; sed res actualis & possibilis est eadem numero terminative, connotative seu ratione connotati, & in hoc sensu vera est prædicatio hæc: *Hic homo existens est, qui fuit possibilis*, id est qui fuit connotatum possibilitatis vel non repugnans ad existendum.

EST conformis *Scoto* infra asserendo sub Assertione quinta contra *Sichen* & *Mastrium* qui Doctorem citat in oppositum *Contro.* 8. *Met.* q. 1. a. 3. difficultate tertia. n. 48. ubi sic ait: *Ostendo modo, quod sum pollicitus, scilicet ens possibile formaliter significare & in recto illud ens positivum, quod postea in tempore existeret, si produceretur*, rationem quam affert quid valeat & quam benè *Scotum* interpretetur pro se subinferius videndum.

396 Assertionem probo ex ipsa doctrina *Mastrii* sibi non cohærentis cum iis, quæ hic in *Met.* cit. & *Tomo* 1. de *Deo* dist. 3. de intellectu divino. q. 2. de Ideis. a. 1. n. 52. affert de creaturis possibilibus dicens ex mente *Scoti* ipsum esse possibile creaturarum appellari à Doctore esse diminutum & secundum quid, & ab intellectu divino productum, ut illud distingueret ab esse reali simpliciter si distinguat, ut revera distingui debet, quomodo formaliter & in recto idem est cum illo, quod postea in tempore per physicam sui productionem recipit esse simpliciter? præ-

Esse diminutum rei non est esse simpliciter.

dicatum in hac complexa: hic homo existens est, qui fuit possibilis, significat esse secundum quid & diminutum, & sonat, hic homo nunc existens simpliciter pro statu possibilitatis fuit ens secundum quid: sed ens diminutum formaliter & in recto nequit prædicari de ente simpliciter, nec ens simpliciter de ente diminuto & secundum quid formaliter de ente diminuto, *ergo*.

Probo secundo Assertionem contra Mastriũ 397
d. 8. *Met.* n. 48. sibi ipsi ita objicientem: *Forte dices opus non esse, ut sint positivè idem, adhoc ut possint invicem prædicari, sed sufficere quod sint idem negativè id est quod non sint duo positiva distincta.*

Contra, inquit, cùm dicimus homo hic & nunc existens est, qui fuit possibilis, copula est, nedum negat realem distinctionem, quia ulterius ponit realem identitatem, hæc autem inter extremum positivum & negativum versari nequit: ita *Mastrius* sub eodem numero loc. citato in Metaphy. ad suam objectionem, & videtur se fundare in eo, quod immediatè dixerit citans *Scotum* docentem 9. met. ens in actu & ens in potentia non

Fundamentum Mastrii.

sunt

ſunt tantum ejuſdem generis & ſpeciei, ſed etiam ejuſdem numeri, illud enim individuum, quod nunc eſt in actu, illud idem fuit in potentia, cujus rei, inquit, manifeſtum judicium eſt, quia eundem prorſus formamus eſſentialem conceptum de homine exiſtente & non exiſtente.

Secundo, inquam, probo Aſſertionem contra hunc Auctorem, ex *Scoto* 9. met. q. 2. ſub Scholio 2. nu. 5. ubi ad quæſtionem objectam, *an potentia dicatur ad actum in potentia vel in actu.* Reſpondet ad primum, *quando quæritur aut ad actum in actu, aut ad actum in potentia: Dico quod utraque pars disjunctivè ſit diſtinguenda, ſecundum compoſitionem & diviſionem, & in neutro ſenſu eſt verum, quòd potentia ſit ad actum in actu:* rationem ſubdit, *quia tunc idem ſimul eſſet in potentia ut terminus potentiæ, & in actu.* In *ſenſu etiam compoſitionis falſum eſt, quod potentia ſit ad actum in potentia, ita ſcilicet, quod terminus potentiæ intelligatur hoc totum* (actus in potentia) *nunquam enim terminus relationis eſt per ſe compoſitum ex termino & relatione, ſicut per ſe terminus paternitatis, non eſt filius Patris ſed Filius.* Hæc *Scoti* doctrina proſternit doctrinam & complexionem *Maſtrii* dicentis hanc: Hic homo exiſtens, eſt, qui fuit poſſibilis, ſic intelligendum, ut copula *eſt* ponat identitatem realem inter ſubjectum hominem actualem & hominem poſſibilem prædicatum, ea enim propoſitio eſt per compoſitionem, quâ de actu prædicatur identitas realis potentiæ, ſeu potentia realiter identificatur cum actu, ſed clarè inficiatur hic *Scotus* tum, quia tunc idem ſimul eſſet in potentia ut terminus eſt potentiæ, ſeu connotatum potentiæ & ſimul in actu, quia de ipſo ut tale potentiæ connotatum prædicaretur potentia formaliter & in recto, quod *Scoto* meritò viſum fuit abſurdum eſſe; tum quia expreſsè ſubdit; *in ſenſu autem diviſionis eſt verum, quod potentia ſit ad actum in potentia,* hoc eſt, *quia actus eſt in potentia* ſeu connotatum potentiæ, ergo quando dicis, *hic homo exiſtens, eſt, qui fuit poſsibilis,* copula *eſt* non ponit realem identitatem & rationem eatenus numericam, ut prædicatum *poſsibilis* ſit formaliter & in recto homo actualis, ut ſubit homo munus ſubjecti, ſed pro duplici ſtatu actualitatis & potentialitatis terminativè, diviſivè ſeu connotativè ſolum, ut ſit ſenſus homo exiſtens eſt qui fuit poſſibilis, id eſt, jam eſt exiſtens pro ſtatu actualitatis, qui in ſtatu poſſibilitatis à ſtatu actualitatis diviſo fuit connotatum poſſibilitatis. Quare mirum eſt, quî Auctor cit. voluerit Doctorem trahere in oppoſitum, cum ibidem eadem q 2. ſub Scholio 3. n. 7. expreſsè addat: *Ens in potentia nihil formaliter dicit, niſi non ens quoddam, cui ſcilicet poteſt ſuccedere ens & intelligitur, quaſi idem ens ſibi ſuccedere, quaſi primò ſundat potentiam, deinde ſit terminus potentiæ, quod non eſt niſi ſecundum intellectum concipientem idem:* ergo perperam dicitur ab iſto Auctore & directe adverſatur aperto textui Doctoris, quod ſunt idem per identitatem realem. Idem confirmat ibi *Doctor* ſubinferius, inquiens, ulterius ad compertiorem notitiam de potentia ut eſt differentia entis ad intellectum multorum, quæ dicuntur de potentia & in iſto 9. & alibi à Philoſopho, *ſciendum eſt, quod illa non dividatur in potentiam ante actum & cum actu,* quia oppoſita eſt actui *& ita nulla eſt cum actu ſed tantum ante actum.* Si nulla eſt cum actu, quomodo formaliter & in recto prædicatur de actu? quomodo copula eſt in allata propoſitione nedum negat realem diſtinctionem, ſed ulterius ponit realem identitatem, fateris hanc identitatem inter poſitivum & negativum verſari non poſſe, *Scotus* ait potentiam eſſe quid negativum, eſſe non ens in recto ſatem, ut amplius manifeſtum fiet *Aſſertione* ſequenti, ergo vel ſic neque in propria opinione tua identitati reali locus erit inter ens actuale & ens poſſibile.

Funditus deſtruitur dictũ fundamentum.

Nec quidquam juvat quod dicat hic Auctor, quod eundem prorſus formemus conceptum eſſentialem de homine & exiſtente & non exiſtente, aliud enim eſt conceptum habere de homine non exiſtente & de homine poſſibili, nam aſſerendo hominem eſſe animal, copula, *eſt,* abſolvitur & abſtrahit à ſtatu actualitatis & exiſtentiali, ut prædicatum verificetur de homine, ut eſt talis quidditas, nihil aliud importans quam connexionem neceſſariam inter hominem & animal, ſive actu ſit, ſive non ſit exiſtens, quando autem dicimus: *Hic homo nunc exiſtens, eſt qui fuit poſsibilis,* involvitur ſubjectum, ut eſt ſub ſtatu actualitatis, eſtque ſimpliciter ens, & prædicatum ut eſt ſub ſtatu poſſibilitatis eſtque ſimpliciter non ens in recto, evidens autem eſt quod illa non queant realiter identificari inter ſe, neque formaliter de ſe mutuo prædicari, implicat enim conjunctio identica & identitas numerica inter poſitionem rei & negationem ejus.

Objicies. Eadem entitas numero cum omnibus prædicatis, quæ importat in ſtatu exiſtentiæ extra cauſas, præfuit ante productionem in ſtatu poſſibilitatis, aliàs fieret ut aliquod prædicatum reale poſitivum exiſtens, vel aliquis gradus eſſenci realis non præfuiſſet in ſtatu poſſibilitatis ſecundum eandem numericam rationem, ac proindè qui non importaret non repugnantiam ad exiſtendum, quod patet eſſe falſum.

Confirmatur poſſibile & impoſſibile opponuntur contradictoriè, cum impoſſibile è diametro deſtruat omnem impoſſibilitatis rationem: ſed impoſſibile conſiſtit in negativo, ergo poſſibile in poſitivo, cum alioquin non poſſint contradictoriam oppoſitionem conſtituere.

Objectio iſthæc quâ utuntur Auctores, qui actualitatem Eſſentiæ volunt eſſe ab æterno, in opinione opponentium, qui negant nobiſcum eſſe rerum actuale ab æterno nimium dicit, & ideo nihil, ſi namque eadem numero entitas, quæ eſt in ſtatu exiſtentiæ præfuerit in ſtatu poſſibilitatis aliter quam connotativè & in actu ſignato, fieret ipſam in actu exiſtentiali fuiſſe ab æterno, quod conſtat & illi concedunt eſſe falſum: unde negatur *antecedens,* ad cujus probationem, quod fieret aliquem gradum eſſendi non præfuiſſe

ſub

sub statu possibilitatis, expeditè respondetur ex iis, quæ prolixè superius diximus in *digressione incidentali* à n. 373. ad usque n. 384. ostendentes, qua ratione actus existentialis positus sit in actuali exercitio, ac connotativè solum, non formaliter referat possibilitatem, eò quod non repugnantia ad existendum, quæ consequitur ad actum existentiæ, non est per modum actus primi & contrahibilis, sed per modum actus secundi & contrahentis; Vide quæ ibi dicta sunt, & argumentum est solutum. Vide item infra q. 4. in responso ad object. sub n. 427. ibi solvitur instantia, quæ sumitur ab eminentia Causæ, quæ ibi potius, uti quærimus quomodo possibile pendeat à potentia Dei dispungenda erit, quàm hic, ubi de possibili logico secundum se controvertimus.

Ex quibus patet ad objectionem & confirmatur *Assertio*, nimirum quod res actualis & possibilis sit eadem numero non formaliter & in recto, sed terminativè, connotativè seu in obliquo ratione connotati, id est quatenus ab æterno fuit connotatum possibilitatis vel non repugnantiæ ad essendum, quia ab æterno fuit illa non repugnantia, ut hæc numero realitas in tempore existeret, ut amplius patebit *Assertione sequenti*.

399 *Ad confirmationem* è contradictoria oppositione possibilis & impossibilis. *Respondeo* ex dictis *Cont.* 2. hujus *Tomi.* a. 2. *Assert.* 4. n. 14. p. q. possibile & impossibile non esse terminos contradictoriè oppositos, nisi versentur *circa idem* & *de eodem* & *ratione ejusdem*, ita ut implicet illa simul posse verificari; contradictio siquidem requirit, ut totum hoc quod affirmatur & asseritur termino positivo, destruatur & negetur termino negativo de eodem respectu ejusdem, ut dari à parte rei duo contradictoria adynaton sit, ut *Cont.* & a. cit. p. 8. n. 13. ostenditur, impossibile autem V. G. chymera, quæ repugnantiam dicit ad essendum & possibile quod non repugnantiam dicit ad essendum, non versantur circa unum, sed pro ut hic objiciuntur circa plura, ut circa plura autem non magis pugnant inter se, quam hic termini, *homo albus* & *non albus*, applicando affirmativum Petro, negativum Joanni, non enim præcisè ideò sunt contradictoria, quia inter se opponuntur & repugnant quomodocunque cum opposita contrariè, privativè & relativè etiam sibi opponantur, & tamen non sunt contradictoria, sed ideò sunt contradictoria, quia actu & immediatè sibi contradicunt idem affirmari & negari, sive implicat quod idem sit & non sit, non autem implicat, quod possibile sit & impossibile ut Chymera non sit, imò de facto chymera non est & repugnat illam esse, & de facto possibile est & non repugnat esse, quòd si hi termini circa idem versarentur, necessariò falsum esset juxta prima principia, *impossibile est idem esse & non esse*, & *impossibile est verificari & non verificari idem de eodem respectu ejusdem* & cæt. itaque possibile & impossibile non opponuntur contradictoriè, sed potius contrariè sub eodem genere negationis seu non entis ut sic, in quo conveniunt ac sustinent inter se medium, quod est ens actuale, quod ut tale non est possibile, in quantum possibile sonat ens in potentia, nec etiam est impossibile.

Ad contradictoria quid requiratur.

Aliter argumentum urgebis: hæc propositio, *hic homo est possibilis*, cum hac, *hic homo est impossibilis* seu *hic homo non est possibilis* opponitur contradictoriè, sed contradictoria nequeunt convenire in aliquo prædicato communi: ergo cùm impossibilitas formaliter consistat in non ente, nequit in eo constitui formaliter possibilitas: ergo possibile in recto dicit quid positivum. 400

Responderi posset ex *Scoto* 1. d. 43. q. unica §. aliter dico n. 7. *quòd falsa sit imaginatio quarentium impossibilitatem aliquorum, quasi in aliquo uno, quasi aliquod unum vel intelligibile, vel qualecunque ens sit ex se formaliter impossibile*, ac proinde non possit formari propositio priori per terminum Contradictorium impossibilitatis opposita, cum illa impossibilitas uni soli enti formaliter inesset vel aliquod unum ens formaliter diceretur impossibile, quod non est, cum ex mente Doctoris, impossibile sit quoddam quasi complexum & cointegratum ex coitione & conventu entium quæ sunt absolutè & simpliciter possibilia, si in se & divisim spectentur, & inter se incomposita, important tamen repugnantiam ad existendum inter se, si spectentur quasi aliquod unum tertium ex illis conflari posset, vide *Scotum* l. cit. Ab hoc tamen abstrahendo ex superabundanti respondeo, quod sibi tale possibile & impossibile contradictoriè opponantur, ad hoc non exigi in recto positionem realem & exercitam in possibili, sed sufficere positionem in actu signato, quam negat impossibile, illam namque negando negat & destruit totam non repugnantiam ad essendum contradictoriè & è diametro circa idem & respectu ejusdem pugnans & destruens alterum contradictorium, scilicet totum id, quod ens possibile in actu signato de positione astruit; Consequenter & ipsum non ens, quod necessariò connectitur cum hoc possibili, quasi extrahit à ratione entis possibilis, quod totum qua tale contradictoriè opponitur non enti, quod convertitur cum hoc impossibili, dico qua tale, quia non ens ut sic, non opponitur non enti ut sic, sed quatenus non ens negatio est; non enti, quatenus alterum non ens terminativè ad effectum contradictionis inducendæ positivatur in connotato, quod repugnat suo contradictorio, adeoque totum quod illud astruit, hoc destruat necesse est cùm sit malignantis naturæ, & sic salvatur oppositio contradictoria, esto per impossibile per implicationem causæ ens possibile nunquam actu posset produci, adhuc sufficiet ad contradictionem, quod quantum est sese, connotat non repugnare rem existere & sic adhuc terminativè, connotativè seu ratione termini positivi, quem de se signat, positivari censetur. de quibus plura Assertione sequenti & q. 4. §. 2. n. 422.

Impossibile quomodo cõtradicat possibili.

401 Veken: *Objcit* ſecundo *Veken* cit. ad initium *Controverſiæ* ſub n. 343. dicunt Scotiſtæ (data hypotheſi quod ens poſſibile logicum conſiſtat in negatione actuali) quidnam illud ſit, ad quod divina cognitio terminatur ab æterno, & à quo propoſitiones habent eſſe æternæ veritatis, dicunt quidem poſſibilia à Deo cognoſci ab æterno, de quo non eſt Controverſia, ſed quidnam illud ſit, de hoc inquit, nihil afferunt, ſed ſilent.

Hæc objectio ſimiliter adhibetur pro eo ab iis, ut oſtendant ens poſſibile habere eſſe actuale ab æterno, dumque eandem hic Auctor contra doctrinam *Scotiſtarum* opponit, oſtendit ſe nec *Scotum*, nec *Scotiſtas* legiſſe, illi namque, dum ſcribunt de intellectu divino ejuſque objecto, exactè determinant ad quid terminetur cognitio divina ab æterno cognoſcens poſſibilia, & nos de hoc fusè Cont. 12. q. 7. in diverſis articulis per extenſum, neque de hoc tractandum in hac Controv. *de ente poſſibili*, in qua *Scotiſtæ* ſupponentes tanquam certum dedecere Deum, quod apprehendat inſtar poſitivi; id quod poſitivum non eſt ex parte objecti, adeoque in ea non de terminatione ſcientiæ divinæ agendum, ſed quomodo, cùm ens poſſibile in negativo exiſtat, nanciſcatur poſſibilitatem, quid importet, dicitur à Deo produci in eſſe cognito, qualiter vi terminationis & extenſionis ſcientiæ ſeu formæ intentionalis ad ens poſſibile nanciſcatur primum eſſe poſitionis ex parte formæ, non ex parte objecti & ſimilia, quæ ſupponunt deciſionem de objecto primario & ſecundario intellectus divini præceſſiſſe.

Ad id quod addit, à quo propoſitiones habeant eſſe æternæ veritatis, dico non eſſe neceſsè, ut ob veritatem æternam neceſſariarum complexionum recurratur ad realitatem poſitivam terminorum inter ſe connexorum, quia illa ſalvatur ſufficienter in poſitione extremorum potentiali & ſignata abſque exercita, neque enim hæc, *homo eſt animal*, & ſimiles quæ ſunt veritatis æternæ, importat per copulam *eſt* durationem exiſtentialem, ſed nudam connexionem neceſſariam inter hominem & animal cum non repugnantia ad exiſtendum.

Inſtabis, implicat extrema illa inter ſe uniri aut connecti, niſi qua vendicant ſibi aliquod poſitivum, cùm negatio ſit potius deſtructio compoſitionis & connexionis, ſed cauſa quod non ſint connexa, connectio enim ſonat nexum compartium, negatio exprimit *non eſſe* cujuſcunque cauſalitatis compoſitivæ;

Reſpondeo hic eſſe negationem cum poſitione ſignata, qualis non deſtruit, ſed fundat illam connexionem, cùm ſit non repugnantia ad eſſendum id, quod ex connexione terminorum reſultat, nec poterit unquam oſtendi quid ſolidi in oppoſitum. Videat tamen, qui plura de veritate æterna propoſitionum ſcire deſiderat, Maſtrium in *Met.* d. 8. q. 1. art. 4. n. 64. per duo integra folia uſque ad q. 2.

ASSERTIO V.

Creatura poſſibilis eſt ipſa Creatura actualis in actu ſignato expreſſa per hoc, quòd ſit non repugnantia ad exiſtendum, quæ ante acceſſum poſitionis quæ eſt effectus divinæ potentiæ, taliter ſecum trahit fundatque negationem exiſtentiæ actualis, ut iſthæc negatio ſit actualis & exercita, poſitio verò connotata, ac in hac particula ad *exiſtendum* in actu ſignato expreſſa, ſit potentialis, vi cujus opponitur non ſolum non enti, quod convertitur cum impoſſibili, ſed omni enti, quod habet duntaxat eſſe in anima, poteſtque hoc pacto intra rationem nominalis entis dici quid reale poſitivum non exercitum & in recto, ſed in eo quod connotativè dicit, & in actu ſignato.

403 HÆc Aſſertio exprimit totum poſſibilitatis conceptum, eumque ad mentem Doctoris Subtilis, qui ita conſtituit ens poſſibile in non ente, ut tamen illud diſtinguat ab impoſſibili, ita iterum conſtituit in ente in actu ſignato, ut ſit non ens in actu exercito, probatur ex ipſomet Doctore primo ex 9. *Met.* q. 2. n. 7. §. *aliter dicitur*, ubi expreſsè ita ait: *Ens in potentia ſimpliciter eſt non ens, & per conſequens relatio fundata in ipſo eſt tantum rationis & diviſio entis in ens in actu & ens in potentia eſt quaſi diviſio per contradictionem non ſimpliciter, quia tunc ens in potentia converteretur cum non ente, & diceretur de impoſsibili: Sed ſicut privatio non plus entitatis dicit, quam negatio, licet ſit negatio contracta ad ſubjectum, & ideò diviſio per habitum & privationem & per contradictionem quandam. Sic in propoſito, ens in propoſito nihil formaliter dicit, niſi non ens quoddam.* Qui textus clarè denotat *Scotum* non negaſſe, quod ens in potentia in recto dicat merum negativum, quin N. 12. circa finem ibi reſpondendo ad argumentum, quo q. 1. N. 1. quarto loco dicebatur actum & potentiam non dividere aliquod diviſum, ut oppoſita, quorum alterum convertitur cum diviſo, actus convertitur cum ente, quia

quia ens in potentia est tantum secundum quid ens; ergo simpliciter non ens secundum unam viam probabilem respondet concedendo, quod destruat potentia ens, puta quà trahit secum & fundat negationem actualem non existentiæ entis, sicque dicit, quod cùm dividitur ens per potentiam & actum, sit divisio sicut illa animalis *per vivum & mortuum*. Idem habet 1. d. 3. q. 2. §. *ad secundam quæstionem* N. 14. dicens, *quod esse possibile, non est nisi esse secundum quid, quia hoc esse non est esse simpliciter creaturæ, sicut nec esse hominem mortuum, est esse hominis*; & mox: *nec plus ponit ista possibilitas in re, quam cæcitas in oculo* & cæt. Quod autem positionem connotativè exprimat & esse positivum in actu signato eo modo, quo dictum in *Assertione*, patet 9. Met. cit. q. 2. N. 7. postquam ibi dixit ens in potentia non esse nisi merum non est, apertè subdit. *Cui*, scilicet potentiæ, *potest succedere ens, & intelligitur quasi idem ens*, puta quod concernat in actu signato *sibi succedere, quasi primo fundet potentiam*, vel ut mox infra ait: *determinet sibi pro fundamento essentiam intellectam, quæ deinde sit terminus potentiæ*, & mox *& pro tanto videtur ens in potentia magis ens, quam negatio, sicut privatio videtur magis ens, quam negatio, unde privatio ponitur terminus motus naturalis, negatio non. Sic enti in potentia intelligitur secundum ens, sed non sic non enti absolutè*, puta quod nè quidem connotativè est ens positivum & reale *secundum illos* ait Doctor, *qui ponunt essentiam nullam habere entitatem omninò, nisi quod existat actu*, qua doctrina Doctor diversos aliorum loquendi modos ita contemperat, ut teneat ens possibile revera actu nihil esse, esse tamen aliquid reale positivum in actu signato & connotato, de quo ibi N. 6. sic discurrit, *sed quare potentia ponitur aliquid esse, cùm non sit existens, nec aliqua ratio concludat entitatem aliquam convenire non existenti?*

Scotus.

Cui respondet, quod debeat potentiæ activæ correspondere aliquod possibile, *quia*, ait, *respectu ejus, quod non in se possibile est, nulla est potentia activa. Deus autem est creativus, antequam creet, ergo creabile est possibile creari, non tantum potentia logica, quia illa quantum est de se posit esse sine activa, propter hoc ergo ponitur potentia Metaphysica in essentia possibili aliqua entitas, qualis non est in chymera*, omnia hæc colligunt quod licet possibile actu tam nihil sit quo ad exercitium, quam chymera, ideoque divisio entis per actum & potentiam cum actuali negatione entis exerciti sit quasi animalis per vivum & mortuum, est tamen verum aliquid reale positivum in actu signato & connotativè, per quod distinguitur à chymera, cui nulla via competit verum esse, atque hoc pacto Doctor N. 12. citato ad argumentum cit. 4. loco ait, quod licet ens in potentia non sit ens ita simpliciter, sicut ens in actu, sicque ratio possibilis diminuat ens, non tamen omninò destruat rationem entis, adeoque possit habere rationem dividentis.

404 *Sed probatur* eadem Assertio nostra *secundò* & clarius à Doctore in 1. d. 36. q. unica. N. 13. ubi contra hoc, si possibile non esset quid positivum, sed merè negativum, fieret ut chymera & homo ante productionem essent æque nihil, ita habet: *Et quod additur ibi, quod tunc unum nihil magis est nihil, quam aliud nihil. Respondeo quod inest negatio alicui quandoque non propter repugnantiam alicujus positivi ad affirmationem illius negationis, sed propter solam negationem causæ non ponentis illum effectum*

Scotus.

Et subinferius N. 14. *ita in proposito, homini in æternitate inest non esse aliquid, & chymeræ non esse aliquid, sed homini non repugnat affirmatio, quæ est esse aliquid, sed tantum inest negatio propter negationem actus vel causæ non ponentis in esse; Chymeræ autem repugnat, quia nulla causa potest in ea causare esse aliquid.* quo textu duo declarat: *primum* est, hominem ab æterno prout ens capitur participialiter, seu ens in actu exercito tam non esse, quam chymeram: *Secundum* est, quod tamen homini non repugnat affirmatio, quæ est esse aliquid in potentia, chymeræ autem repugnet, quod & immediatè ibi exposuerat, respondens *Henrico* sub N. cit. §. *Ad primum principale*; *dicens: quod ens ratum aut appellatur illud, quod habet esse firmum & verum sive essentiæ sive existentiæ, quia unum non est sine altero, qualiter cunque distinguantur, aut ens ratum dicitur illud, quod primò distinguitur à figmentis, cui scilicet non repugnat esse verum essentiæ vel existentiæ.*

Discrimen inter ens & non ens.

Si primo modo dicatur ens ratum, dico, inquit, *quod homo non est ex se ens ratum, nisi effectum*, ubi expressè innuit primam partem nostræ assertionis, quod homo possibilis actu tam essentiam quàm existentiam æquè neget, cum unum actu non possit esse sine altero: ergo ens possibile ut distinguitur contra utrumque, seu respectu utriusque est merum negativum, unde subdit: *Cùm igitur dicis, igitur nunquam est ens ratum, nisi effectum concedo hoc modo: & quando est effectum est existens, ergo nunquam est ens ratum, nisi sit existens. Concedo.* quid clarius desideratur pro prima parte Asserti?

Pro secunda autem parte pergit Doctor: *Si secundo modo intelligatur ens ratum, dico quod homo ex se est ens ratum, quia formaliter ex se non repugnat sibi esse.* ubi illam non repugnantiam ad existendum ita explicat, ut ens quod per illam connotatur in actu signato, sive esse quod adhuc est in potentia, possit esse per efficiens in actu exercito, ac proinde sic subeat rationem entis realis nominalis, ut ex ratione suâ & formaliter non repugnet sibi esse. *Cuicunque enim* inquit Doctor, *repugnat aliquid primo, ei repugnat formaliter ex ratione ejus*, ita cui non repugnat formaliter, non ei repugnat per rationem ipsius.

Quod in explicato sensu ut ens reale opponatur insuper enti in anima seu enti rationis, probatur ex *Scoto* 1. d. 36. cit. supra: sub n. 345. scilicet ens prima sui divisione æquivocè dividi in ens extra animam; & ens in anima,

405 *Ens possibile opponitur enti rationis.*

anima, illudque extra animam ulterius dividi in illud, quod est in actu, & vocatur ens participiale, & in ens possibile, seu ens nominaliter sumptum, quod distinguitur à figmentis, ergo illud æquè oppositum est, enti in anima, ac verè ens & actu existens, de quo vide *Lychetum* supra citatum textum.

406 Ex his habetur in quo sensu opponatur Creatura possibilis nihilo chymericæ, ut quid positivum, & in quo sensu opponatur enti rationis ut quid reale possitque consequenter, esto actu dicat negationem entis creati, quæ fundatur in illa non repugnantia ad existendum, adhuc suo modo dici ens reale positivum pro cujus ampliori intellectu ibi Doctor inferius ostendit, quomodo homini à quidditate sua conveniat illa non repugnantia seu habilitas negativa ad essendum, & quomodo chymeræ repugnat dicens: *Prima igitur omninò ratio est, & non reducibilis ad aliam quare homini non repugnat esse, quia homo formaliter est homo, & hoc sive in re realiter sive in intellectu conceptibiliter. Et prima ratio, quare chymeræ repugnat esse, est chymera in quantum chymera. Aliter igitur inest ista negatio nihilitata homini in æternitate & chymeræ, & tamen non propter hoc est unum magis nihil altero*, quæ ita clarè innuunt Assertionem nostram, quà asserit ex una parte dici posse ens positivum, sivè creaturam possibilem esse merum ens negativum, & tamen suo modo opponi in sano sensu nihilo, ut ulteriori nostra elucidatione opus non habent.

QVAESTIO III.

An Scotistæ. q. 1. a. 2. cit. à n. 359. usque ad 362. ex subtili Doctore rectè argumententur contra Doctrinam superiorem q. 1. art. 1. Assert. 1. & 2. propositam?

SVMMARIVM.

1. *Possibilitatem rerum primò originari ab intellectu divino*, Subtili *non consonat. n.* 407. *& seq. & iterum* 409. *& seq.*
2. *Intellectus divinus confert rebus quæ ante possibiles erant primum esse positivum ex parte formæ, non ex parte objecti. n.* 409. *& seq.*
3. *Productio in esse cognito est declarativa rei extendentia quid illa sit explicatur. n.* 409. 413.
4. *Esse diminutum Creaturæ ab æterno est esse secundum quid totius, non partis. n.* 412.
5. *Prioritas in divinis quandam dependentiam indicat, simultas connexionem, n.* 417.
6. *Corollarium de esse diminuto. n.* 418.
7. *Vindicatur* Scotus *ab impostura quorundam.* ibidem.

PRæmissis iis, quibus quæstione secunda conceptum Creaturæ possibilis explicamus, quæ erant præmittenda ad evitandam confusionem dicendorum, quæ sese aut supponunt, aut sibi cohærent, quid objectiones q. 1. a. 2. factæ efficiant valeantne perspicuum si & quo ad primam objectionem, q. 1. a. 2. N. 359. Sit

ASSERTIO I.

Doctor Subtilis nunquam opinatus est possibilitatem entis ab intellectu divino ita forinsecus rei accedere, ut pro illo signo naturæ, in quo astruit Scotus rem ab intellectu divino produci in esse possibili tunc prius res suam obtineat possibilitatem, eamque intellectus producens anteeat ita, ut illam rei de se ab intrinsecis suis principiis competere neget, nisi intellectus illam prius dederit illi.

407 *Mastrius.* HÆc Assertio probatur etiam ipsi *Mastrio*, quatenus l. c. sub N. 360. asserit logicam possibilitatem ab intellectu quidem accipere suum esse ut ab extrinseco principio, ita ut loquendo de ratione extrinseca sive originativa sive productiva

Opinio illius & quorundam Scotistarum aperitur.

ctiva dante esse tale vel tale, intellectus divinus est ille, qui principiativè producit creaturam in esse possibili, formaliter verò & intrinsecè possibilitas consurgat ex ipsis rationibus suis formalibus, quas dicit attendendas penes ordinem intellectûs judicantis nullam esse repugnantiam inter illas, hucusque *Mastrius* benè, verum non concedit, si per impossibile auferretur intellectus divinus, super esse adhuc possibilitatem logicam, sive nullam nanciscì non repugnantiam ad essendum, vel si sola præscindatur terminatio divinæ mentis in rem possibilem dicit illius nullam esse amplius possibilitatem quæ relinqui queat, eo quod ipsum divinum intellectum non anteeat illa rerum possibilitas, cùm enim apud *Scotum* in aliquo signo naturæ concipiatur ipsa possibilitas rei velut producta ab intellectu divino, antequam apprehendi valeat, ut non repugnans ad existendum à sua quidditate vel ratione formali; cum ista possibilitas, vel non repugnantia, quæ cohæret rei à sua ratione formali, illi postmodum prius congruat in secundo instanti naturæ, scilicet postquam in primo à sola vi intellectûs divini posita est, tanquam à principio extrinseco, non stante in primo signo possibilitate aliqua, quæ trahatur à ratione formali entis creati.

Igitur fiet, ut intellectus Dei sit principium possibilitatis entis in primo signo, ac proinde ablato tali principio per locum intrinsecum tolleretur possibilitas entis. Ecce fundamentum Adversantium *Scotistarum*, de quo vide N. 360.

Qua in re de se satis intricata, ut clarè & distinctè procedamus, ostendendum est, quid velit ergo Doctor, dum ex una parte dicit, quod lapis intellectus V. G. hauriat possibilitatem ac esse intelligibile principiativè ab intellectu divino, ab altera autem parte dicit istam possibilitatem referre & habere formaliter à se ipso, quæ si inter se, ut debent, combinentur, luce clarius evadet, quod inprimis possibilitas rei non trahatur ab intellectu divino, tanquam à principio adæquato, ita ut præcisa terminatione divini intellectus in creaturam possibilem utique aliqua ratione superstes sit prædicatum possibilitatis & non repugnantia ad essendum.

Quæro itaque, in quo consistat ratio illa possibilitatis, secundum quam à se ipso refert possibilitatis prædicatum, dum enim lapis asseritur à *Scoto* quasi principiari ab intellectu divino in esse intelligibili, pariter ut ostensũ suprà. N. 355. 356. & 357. pronunciatur ab ipso quod à se & à formali sua ratione referat possibilitatem exere; in quo *Doctor* constituat illud prædicatum, quod formaliter refert à seipso, manifestum est quod non in illo, secundum quod efficitur ab intellectu divino, nam prædicatum, quod alicui accedit ab extrinseca terminatione potentiæ, certè non dicitur nanciscì illud à seipso formaliter, quomodo V. G. columna non accipit à seipsa dexteritatem, nec paries *visum esse*, nec quodcunque aliud objectum, *intellectum esse*, quæ sunt adventitiæ denominationes acceptæ ab extraneo, dic, inquam, si possibilitas vel non repugnantia ad existendum ex se rei convenit à sua ratione formali quo pacto prius illi competat in 2do instanti, scilicet postquam in primo instanti ex se jam tum suam possibilitatem habuit? quod ex se formaliter tale est, potestne iterum & quasi secundò illud ipsum effici ab extrinseco? atqui ex se formaliter creaturis possibilibus ad mentem *Scoti* competit illa possibilitas, de qua *Doctor* l. c. dicit illam stare, esto per impossibile nulla potentia ipsam respiceret; & 1. d. 43. quæst. unica §. Sed contra istum, n. 3. *lapis*, inquit, *est possibilis ex se formaliter*, alibi frequenter: ergo hujusmodi possibilitas non obtinetur ab intellectu.

408

Difficultas ex textu Doctoris.

Sed respondebis, dic & tu quomodo ergò intelligendus veniat *Scotus*, dum pariter dicit ibidem lapis productus est in esse intelligibili per intellectum divinum, & quasi principiativè per intellectum in esse possibili, quod ibi & alicubi Doctor sæpè & repetitò pronunciat?

Itaque cùm ita lubeat & hæc Assertio inde stabiliatur,

Sit

***

ASSER-

ASSERTIO II.

Non eo ſenſu Doctor Subtilis pronunciavit, quod rerum poſſibilitas principiativè ſumatur ab intellectu, quaſi Deus producendo res in eſſe intelligibili ſivè cognoſcendo rerum poſſibilitatem faciat eas tunc ab aliquo inſtanti poſſibiles eſſe, ſed rebus, quæ erant jam formaliter poſſibiles ex ſeipſis, confert aliquod primum eſſe poſitivum, quod ante cognitionem nactæ nondum fuerant, ita ut ens poſſibile ante tendentiam intellectus divini in illud ut objectum, quod erat ſola non repugnantia ad eſſendum & merum ens negativum juxta dicta ſupra ſub n. 395. & ſeqq. poſt terminationem divinæ mentis accipiat primum eſſe poſitivum ex parte formæ, licèt non ex parte objecti, id eſt, accipiat primum extare in ratione objecti, in qua ratione ante quaſi non erat, delituit, jam verò emergere & dici incipit *cognitum eſſe*, *manifeſtatum eſſe*, quod eſt quoddam poſitivum primum ex parte formæ, à qua creatura poſſibilis denominatur cognita, eſto quidditativa ratio creaturæ poſſibilis, ut condiſtincta à denominatione cogniti, ſit ens reale negativum.

409 EX hoc Aſſerto habes, quando *Doctor* dixit rem produci in eſſe intelligibili, & poſſibilitatem principiativè haberi ab intellectu divino, eum nihil aliud voluiſſe, quàm illi poſt terminationem obtutus divini in ipſum, accreſcere primum eſſe poſitivum ex parte formæ, ſcilicet eſſe objectivum & denominativum eſſe cogniti & apprehenſi, eo prorſus modo, quo dicimus ab intellectu creato ens rationis effici, quia per illum induit poſitivam illam rationem analogicam entis, quam non pro ſe ferebat ante terminationem notitiæ in illud, aut eo modo, quo Adam produxit viventia in eſſe nominabili, vel ut ipſe Doctor 2. d. 1. q. 1. §. *Stando igitur præcisè.* n. 14. *ſicut in nobis intentiones ſecundæ producuntur per intellectum, in illo inſtanti*, inquit, *objectum illud* (intellige ens poſſibile) *non eſt ex ſe actu intelligibile, ſed fit actu intelligibile per intellectum, ideò non habet eſſe in memoria divina ut memoria eſt, ſed producitur actu intelligentiæ in tali eſſe objecti, ſicut in nobis intentiones ſecundæ producuntur per intellectum, & non ſunt in memoria, ut memoria eſt*, ubi per illa verba cum particula rationali (ſed) *Sed producitur actu intelligentiæ in tali eſſe objecti* explicat ſeipſum, quid velit, dum ait: non eſt in illo inſtanti ex ſe actu intelligibile, ſed fit intelligibile per intellectum, nimirum illius operatione & terminatione in objectum, quod antea non apparebat, jam quaſi extunditur ad cognitum eſſe, & è ſui nubilo producitur in intelligibili perſpicuo, adeoque poſt quaſi nullam ſui extantiam in ordine ad intellectum, jam fieri extans ac apparere ſub ratione objectivi cogniti & apprehenſi eſſe, ſub quo ante acceſſum intellectus, etſi ex ſe jam tum erat poſſibile, poſſibilitas tamen quaſi in abyſſo non extantium & cum nondum erutis ad lucem manebat, donec per adventitium illud *cognitum eſſe*, prodiret in lucem, & latere deſineret, atque cum hac explicatione literæ Doctoris convenit *Smiſing* l. c. ſub n. 354. & *Lychetus* ſuper textum 1. d. 43. q. unica ſub §. *Nunc Doctor declarat opinionem propriam.* Ubi ait, *tertium dictum eſt, quod res producta ab intellectu divino in eſſe poſſibili ſive intelligibili in primo inſtanti naturæ, habet ſeipſa eſſe poſſibile in ſecundo inſtanti naturæ.* Et hoc ſic intelligitur, quia lapis in primo inſtanti naturæ producitur ab actu intellectus divini in eſſe cognito; & in ſecundo inſtanti naturæ habet ſeipſo eſſe poſſibile.

Secunda explicatur.

Sic tamen intelligendo; quod in primo inſtanti naturæ lapis habet eſſe cognitum ſe ipſo formaliter, ſed originativè ab actu intellectus divini: ſimiliter in ſecundo inſtanti lapis habet eſſe poſſibile ſeipſo formaliter, originativè verò ab actu intellectus divini, ita *Lychetus* apud quem idem ſonant eſſe cognitum & eſſe poſſibile, & quod nullum ſignum ſit in quo lapis poſſibilis non refert eſſe cognitum vel poſſibile, eo quod à ſeipſo referat non repugnantiam ad eſſendum, quod eſt objectum cognitionis divinæ, in eundem ſenſum ſe ait *Smiſing* Doctorem non intelligendum, quaſi Deus cognoſcendo rerum poſſibilitatem faciat eas eſſe poſſibiles, *tum quia*, inquit, *prius eſt, rem eſſe veram, quàm verè concipi, etiam reſpectu divina*

divini intellectûs : tum etiam , quia aliàs sibi contradiceret Scotus , cùm dicat eas esse possibiles formaliter ex seipsis. Conformiter adhæc denique *Poncius* in suo *Comm.* 1. d. 36. q. unica super §. *Ad secundum dico.* n. 10. textus ait in *Comm.* n. 6. Deum producere creaturam in esse intelligibili , *nil aliud esse quàm Deum illas realiter intelligere.*

410 Contra hanc interpretationem objiciunt. *Doctor* expresè ait , quod intellectus divinus principiativè producat rem in esse intelligibili & possibili : Sed productio rei plus dicit, quam meram extundentiam vel solam extrusionem rei ad esse cognitum , quod ad tendentiam notitiæ apprehendentis resultat in objecto, estque productio passiva in esse intelligibili consistens in pura & puta denominatione extrinseca : ergo : *minor* prob. quia quilibet intellectus etiam creatus, posset principiativè rem in esse possibili & intelligibili producere , dum enim tenderet in proprium objectum , illud formaret in esse intelligibili, ac ita sequeretur , cum Deo indubiè à tendentia visionis beatificæ , quæ est expressa & quidditativa Imago Dei accedat denominatio , *intellectum* esse , *cognitum* esse , quod Beatus Deum quidditativè apprehendens illum in esse intelligibili & cognito esse produceret.

Secundo. Secundum dicta q. 1. a. 1. sub *Assert.* 1. n. 35. productio rei in esse intelligibili potest analogicè construi cum productione physica ad esse actuale terminata , sicut enim physica productio producit rem in esse physico & existentiali , ita hæc productio intellectiva producit rem in esse declarativo , sed est absurdum per intellectum creatum aut etiam divinum Deum posse produci in esse intelligibili , quasi Deus prius non fuisset objectum perspicuum sibi ac in esse intelligibili constitutum : ergo similiter quando *Doctor* ait creaturas in esse intelligibili principiativè originari ab intellectu divino non intendit dicere, quod illi correspondeat productio passiva consistens solum in denominatione extrinseca cogniti esse, quæ est productio entis duntaxat in esse diminuto. 411 *Object. 2.*

Respondetur ad hoc argumentum & explicatur , quid apud *Scotum* sit esse *diminutum.*

412 *Respondeo* in forma concedendo majorem negando minorem,pro qua ut ulteriorem prætereamus,quam dedimus q. 1. a. 1. a. n. 350. eo usque numerum 353. & prorsus legitimam hujus productionis *in esse intelligibili* , *in esse cognito* interpretationem habeamus , produco ipsum genuinum textum , quem Doctor de suo cognito esse tradit 1. d. 36. q. unica §. ad secundum dico n. 10. ubi hæc habet : *Productio ista est in esse alterius rationis ab omni esse simpliciter , & non est relationis tantum , sed etiam fundamenti absoluti : non quidem secundum esse essentiæ vel existentiæ , quod est verum esse, sed secundum esse diminutum, quod esse est esse secundum quid , etiam entis absoluti , quod tamen ens absolutum , secundum istud esse diminutum, concomitatur relatio rationis. Exemplum hujus. Si Cæsar esset annihilatus : & tamen esset statua Cæsaris , Cæsar esset repræsentatus per statuam : illud esse repræsentatum est alterius rationis ab omni esse simpliciter , estque esse diminutum Cæsaris , quasi aliquid Cæsaris habeat hoc esse & aliquid non , sicut Æthiops est diminutè albus , quia aliquid ejus est verè album , & aliquid non : Sed totius Cæsaris , & esse ejus à causa sua, est verum esse existentiæ & essentiæ , cujus totius secundum totale esse suum , est istud esse secundum quid , & in ipso secundum istud esse secundum quid, potest esse aliqua relatio ad statuam , & licèt posset poni calumnia in exemplo , non tamen ita in proposito de intellectione & objecto , quin objectum totum secundum etiam totale esse suum diminutum , esse habeat in intellectu.*

Esse diminutum non est tantum relatio rationis, sed aliquid absolutum de quo Scot. 2. d. 1. q. 1. & d. 3. q. 1. Esse esse simpliciter, sivè essentiæ sivè existentiæ, nec diminutè est esse diminutum Cæsaris , quasi aliquid Cæsaris creaturæ ab æterno est esse secundum quid totius non potest.

Et si velis quærere aliquod esse verum hujus objecti , ut sic , nullum est quærere , nisi secundum quid , nisi dicatur , quod istud esse secundum quid , reducitur ad aliquod esse simpliciter , quod est esse ipsius intellectionis , sed istud esse simpliciter , non est esse formaliter ejus , quod dicitur esse secundum quid, sed est ejus terminativè vel principiativè , ita quod ad istud verum esse , illud esse secundum quid reducitur , ita quòd sine isto vero esse istius , non esset illius esse secundum quid. ita Doctor.

Ex hac *Scoti* Doctrina perspicuum est , quid dicendum ad minorem objectionis , scilicet productionem rei in esse cognito , quam principiatur intellectus divinus non esse aliam quam declarativam rei extundentiam ex nihilo suæ extantiæ in esse intelligibili ad esse intelligibile , illudque ipsissimum Scoti esse diminutum , nil amplius importans , quàm esse repræsentatum , quod Cæsari annihilato accedit ab imagine illius expressiva consequenter per istam productionem creaturam referre seu habere in mente divina esse diminutum , est habere esse objectivum , eo quod non sit positivum esse essentiæ aut existentiæ realis , sed à supparitate sicut esse præsentatum , quod relinquitur Cæsari ab statua , non est nisi denominativum & extrinsecum ; ita illud esse objectivum & esse cognitum seu diminutum creaturæ intellectæ in mente divina, duntaxat est quid extrinsecum & terminativum , quod ab intellectu divino apprehêdente relinquitur. *Ad probationem* autem *minoris*,qua dicitur,quod posset Deus produci in esse intelligibili , dum

Beatus tendit in Deum ut objectum beatificum reſpondimus q. 1. affert. 1. n. 352. hic iterum reſpondetur ex Scoto 2. d. 1. q. 1. §. *Ordonaturæ accipitur.* n. 17. & eſt idem locus, quem nobis objiciunt ſupra q. 1. a. 2. n. 361. quod non quælibet tendentia cognitionis in rem menti objectam, à qua relinquitur cognitum eſſe, dicenda ſit productio in eſſe intelligibili, ſed ea duntaxat, quæ dat objecto, quod antecedenter, id eſt, ante terminationem cognitionis ne quidem poſitivum in eſſe diminuto habeat, primum eſſe poſitivum idque ex parte formæ, id eſt, ut *Scotus* ait. C. ex parte intelligentiæ, *nam in illo inſtanti*, inquit, *objectum illud* (intellige ens poſſibile) *non habet eſſe in memoria divina, ut memoria eſt, ſed producitur actu intelligentiæ in tali eſſe objecti, ſicut in nobis intentiones ſecundæ producuntur per intellectum, & non ſunt in memoria, ut memoria eſt.* Ecce Phraſin *Scoti* eò appellantis terminationem cognitionis ſuæ in creaturam poſſibilem, productionem, quo vi hujuſmodi terminationis accipiat illud ens poſſibile ſive non repugnantia ad exiſtendum primum ſuæ declarationis & manifeſtationis poſitivum ab actu intelligentiæ, ſeu primæ extenſionis formæ intentionalis ad ens poſſibile, non ergo quælibet in rem tendentia & terminatio in rem poſſibilem dat rei eſſe intelligibile. & cognitum eſſe tale, de quo *Scotus* & nos in præſenti loquimur: Ex quo liquido patet quid ſit dicendum ad ſecundum. His omnibus, ut ſatisfaciamus iis quæ ſupra objecta ſunt, ritè perpenſis,

Reſpondetur ad Argumenta

Q. 1. a. 2. à n. 359. ad uſque 361. propoſita contra Aſſertionem ibi ſecundam & tertiam.

414 *Explicatur & cõfertur mens Doctoris Subtilis.*

AD *primum* ſub n. 359. ubi Doctor tam benè dicit, imò repetitò dicit, quod lapis ſit poſſibilis ex ſe formaliter, quàm quod producatur quaſi principiativè in eſſe poſſibili per intellectum, imò concludit & tertiò ſubdit: *igitur eſt ex ſe formaliter poſſibilis* per illud quod immediatè addit, *& quaſi principiativè per intellectum divinum*, ne ſibi contradicat ſine dubio aſſeverare voluit, poſſibilitatem rei, quæ rei ex ſe competit ab intellectu divino effici in ſolo eſſe objectivo & declarativo, nullatenus in eſſe poſſibilitatis quidditativo, quidquid illud ſit, quo enim fundamento ut ſupra n. q. 1. a. 1. n. 355. ex propriis *Scoti* verbis oſtendimus, tam conſtanter aſſereret, ea neceſſitudinis lege creaturam poſſibilem ſuam ſibi vendicare poſſibilitatem, ut ſemota comparatione ad primam cauſam, imò data per impoſſibile primæ cauſæ implicantia, adhuc creaturæ poſſibilitas ſubſiſteret, quod certè non ſtat, ſi putaſſet poſſibilitatem quo ad eſſe materiale trahi ab intellectu divino, ergo loquitur de illa, ut accipit eſſe poſitivum ex parte formæ, & ut extrahitur ex nihilo ſuæ cognitionis ad eſſe intelligibile actu ſeu cognitum eſſe, atque eadem ratione reſpondendum ad alium locum n. 5. citati textus, quo dicebatur, quod in aliquo ſigno conciperetur poſſibilitas ab intellectu divino, & poſtmodum prius in ſecundo inſtanti ex ſe res habeat eſſe poſſibile, illo enim modo loquendi ſolum innuitur, quod poſt terminatam Dei cognitionem in creaturas poſſibiles in primo inſtanti, accipiat quodlibet ens poſſibile V. G. lapis productus, de productione illa creaturarum in eſſe objectivo primum poſitivum in ſecundo inſtanti, ante quod illi tale ex parte formæ, ad *eſſe perſpicuum*, & ad eſſe intelligibile, non inſit, quo in ſenſu rectè aſſeritur produci in eſſe intelligibili, cum, ut luculenter explicatum eſt, non niſi intellectionis divinæ in ipſum terminatæ, hujuſmodi poſitivum, quo tranſit de non cognito eſſe ad cognitum eſſe, naſciſcatur.

Ad Confirmationem, & illa quæ affert *Maſtrius*, quid reſpondendum, tum liquet ex dictis, tum ex dicendis in reſponſo ad ſecundum manifeſtum fiet, & quidem quare poſſibilitas à *Doctore* dicatur poſterior voluntate divina ſeu omnipotentia ut eſt perfectio Dei abſoluta, & ſic à potiori ſit poſterior intellectu divino, dicetur mox in reſponſo ad ſecundum, quod objicitur ſub 361. Cætera quæ habet n. 360. omnia concedimus in ſenſu ſuperiùs à nobis explicato; quod autem ſubdit, *rationes formales poſſibilium attendendas eſſe penes ordinem ad intellectum connotantem inter ſe extrema non repugnantia*, ſi intelligat in ordine ad ferendum verum Judicium, quod illa extrema ex ſe non repugnent, ſed ea non repugnantia terminis primo à ſe, deinde illis ab intrinſeco eadem non repugnantia congenea ſit, verum eſt, cùm autem conceptis verbis ibi dicat, *quod ſi nullus daretur intellectus potens judicare aliqua extrema inter ſe eſſe compoſſibilia; nulla etiam daretur poſſibilitas logica*, adeoque quod non repugnantia extremorum nullo modo ſit extra cauſalitatem intellectus, non loquitur ſolum contra *Scotum* qui abſolutè poſſibilitatem aſtruit, eſto per impoſſibile non eſſet intellectus divinus ut ſupra ex ipſo n. 355. & 357. oſtendimus, ſed & falſum allegat prius enim eſt rem, quæ eſt extra animam, eſſe veram & in ratione objecti conſtitutam, quam concipi ut talem.

Ad

416 Ad *secundum* sub n. 361. ex illis ipsis habent responsum, quæ Doctor illativè subdit: *& ita potest probari, quod prima causalitas respectu causalium in esse cognito necessario sit in tribus personis*, si sint causalia in esse cognito, ergo non est illi sermo de causalibus in esse materiali illius esse cogniti, sed de ipsis causalibus præcisè in esse cognito seu in esse intelligibili extra chaos & ex abysso sui nubili ad esse perspicuum, quâ ratione autem ibi dicat Doctor, esto censuerit creaturas ex se & independenter ab intellectu nanciscisuam possibilitatem, quod non attineat pro illo instanti ad memoriam Patris, cùm tamen illa sit pro illo instanti illimitata & comprehensiva, explicationem requirit, & solutio aderit.

417 *Prioritas in divinis dependentiam innuit, simultas connexionem.* Pro eo itaque recolenda sunt, quæ diximus *Controv.* 12. q. 7. a. 2. in digressione incidentali, & iterum *Controv.* 13. ibi cit. de independentia Dei & perfectionum essentialium Dei à possibilitate entis creati, videlicet, etiamsi id quod de facto est possibile, fieret impossibile, adhuc supereſſe, quidquid absolutum est potentiæ Dei absque connotatione objecti creati, consequenter nullam anterioritatem, nullam simultatem, nullamvè connexionem reperiri in creaturis ad Deum, prioritas enim apud *Theologos* in actibus divinis quandam indicat dependentiam, simultas quandam connexionem objectorum, qualis respectu creaturæ omninò adversatur divinis perfectionibus, unde non est mirum, quod in illo instanti, pro quo intelligitur memoria fœcunda Patris ad Generationem Verbi, creaturæ non habeant esse possibile in memoria ut memoria est, sicut enim Verbum divinum à creaturis possibilibus, ut à termino & objecto distinctionis suæ pendere nequit, ita nec creaturæ esse objectivum vel esse intelligibile in mente Dei sibi vendicare valent, quod Verbi generationem antevertat, & sicut memoria Patris nullam connexionem dicit cum talibus creaturis, ita nullam earundem simultatem dicit, quæ inter illam memoriam ut Verbi expressivam & ipsas creaturas possibiles inveniatur, rectè itaque *Scotus*, postquam assignasset pro primo instanti productiones *ad intra* absolutas seu independentes ab omni connexione cum creaturis, astruit secundum instans naturæ, in quo intellectus & voluntas comparantur ad creaturas, quòdque pro illo instanti adhuc actu non sint intelligibiles, sed fiant intelligibiles (attende ad *Scotum*) dum producuntur *actu intelligentiæ in tali esse objecti, sicut in nobis intentiones secundæ producuntur per intellectum*, dicit in *esse objecti* & infra in *esse cognito*, ergo solùm loquitur de productione in esse denominativo, declarativo ex nunquam cognito ad cognitum esse, sicut in nobis secundæ intentiones producuntur, non quod creaturæ possibiles sint ex se ens in anima, quemadmodum secundæ intentiones, in hoc enim nullus *Scotistarum*, qui tenet ens possibile esse ens extra animam, analogiam accipiet entis possibilis cum intentionibus secundis, sed sicut illæ inducunt per intellectum quoddam esse, ita ens possibile per intellectum divinum quoddam cognitum esse modo sæpius præexplicato. Idque sonant expressa Verba *Scoti*, quæ sequuntur, quòd causalitas respectu illorum causalium sit ad esse cognitum.

Congrua interpretatio Doctoris Subtilis.

Ex his liquidò patet, argumenta *Mastrii* nihil effeciſſe contra Doctrinam nostram q. 1. assertam.

COROLLARIVM

Doctrinæ de *esse cognito* & *esse diminuto* entis possibilis. Vbi vindicatur *Scotus* ab impostura quorundam, qui præpostero conatu sanissimam Doctoris Subtilis Doctrinam VVickleffiano errori insimulare attentarunt.

418 ITaque hactenus dicta evidenter docent illud *esse cognitum* & *diminutum*, ut se tenet ex parte formæ cognoscentis esse ipsamet inelicitam Dei intellectionem, ut verò se tenet ex parte objecti, spectari posse semel penes substratum & quasi materiale ipsius cognitionis passivæ, & est ipsum ens possibile quidditativè acceptum, estque ens reale negativum cum connotatione positionis in actu signato: semel & secundo spectari penes passivam intellectionem, quæ est extrinseca denominatio, eo ipso resultans in creaturis, quò intellectus divinus tendit in illas, tum enim Deus illis creaturis confert esse denominativum, dum eas per tendentiam vel operationem intellectus ad illas terminatam in esse cognito producit, quæ productio fundamentum exhibet, ut creaturis intellectus effingat ens rationis, dum scilicet illud cognitum esse concipit quasi positivum quid adhærens enti possibili ut subjecto. Quare habes, quid sit ad mentem *Doctoris* illud esse diminutum creaturarum in mente divina, habes item quod illud eò asseritur à *Scoto* fundamentum relationis rationis, quò extrinseca denominatio non immutans subjectum intrinsecè, nequeat fundare relationem realem, bene tamen si denominatio ista, seu illud *cognitum esse* apprehendatur ut forma positiva possit dici formaliter ens rationis,

quod ante mentis operam tale erat fundamentaliter, quatenus ſcilicet realiter verum erat, creaturam à parte rei cognitam eſſe, in eſſe intelligibili poſitam eſſe, repræſentatam eſſe, ſeu uno verbo illam referre eſſe objectivum in mente divina. *Habes tertiò* cum illud eſſe cognitum & diminutum nihil ſit præter eſſe denominativum, quam inſcitè nonnulli Catholicam *Scoti* Doctrinam trahere voluerunt ad errorem Wicleffi, qui amarulentiam ſuam, non veritatem oſtenderunt, & meritò perſtringuntur à *Franciſco Coriolano* 1. p. *S. Bonav.* q. 15. *de Ideis art.* 1. §. *Secunda ſententia eſt Scoti*, cui non eſt quod ſuperaddam, cùm ſufficiat vel ſolus *Vaſquez* qui. 1. p. d. 70. 1. 2. n. 8. oſtendit, *Scotum* ne ſomniaſſe tale commentum, quale illi impegerunt licentioſi iſti Theologi *Scotum* non intelligentes, & *Suarez* d. 31. met. *Sect.* 2. n. 2. eadem, inquit neceſſitate fatendum eſt, *eſſe cognitum* ſic explicatum creaturis ab æterno convenire, qua convenit ipſi Deo ab æterno ſcire creaturas eſſe poſſibiles, & ſanè quodlibet Theologus & Catholicus aſſerere debet, res poſſibiles ab æterno à Deo cognitas eſſe, adeoque habuiſſe eſſe cognitum, quod Doctor appellavit *eſſe diminutum*, & *ſecundum quid*, ut illud diſtingueret ab eſſe ſimpliciter, vanè proinde excitarent terriculamenta inania, quæ pueris, non Viris quadrant.

Pennetus l. 3. c. 1. Bannes. Zumel.

QVAESTIO IV.

Quid ſolidi afferant Auctores primæ claſſis cit. q. 1. a. 2. n. 362. & ſeq. contra Doctrinam noſtram in eadem q. 1. a. 1. Aſſert. 1. & 2. aſſertam, ubi, an aut poſſibile pendeat à potentia Dei, aut ſit tam neceſſarium & independens ac ipſe Deus?

SVMMARIVM.

1. *Poſſibilitas logica ſubalternatur neceſſariò.* 419.
2. *Nullatenus tamen infert æqualem neceſſitatis gradum cum illo, qui competit Deo.* ibidem.
3. *Ens poſſibile logicum quo ad formale ſignificatum non pendet ab omnipotentia.* 422. *& ſeq.*
4. *Pendet tamen ab illa ratione connotati.* ibidem.
5. *Poſſibilitas logica connotat exiſtentiam non per modum potentiæ phyſicæ; ſed logicæ abſtat habilitatis negativæ.* ibidem.
6. *Expediuntur argumenta.* 425. *& ſeq.*
7. *Cur pendeat à Dei potentia poſſibile phyſicum & non logicum.* ibidem.

§. I.

Sitne æqualis neceſſitatis gradus in eſſendo, Dei & Creaturæ poſſibilis.

FRanciſci Suarez 1. p. l. 9. de Trinit. C. 6. n. 19. opinio eſt, quòd ſi poſſibile ſpectetur quidditativè, ſecundum quod refert meram negationem non repugnantiæ ad eſſendum, *non eſt minus neceſſarium in ſua negatione, quam Verbum divinum in ſuo eſſe actuali, i quia eſt ſine dependentia ab alio in illa non repugnantia.*

* * *
* *

ASSER-

ASSERTIO I.

Esto possibilitas logica intra merum possibilitatis conceptum subalternetur necessariò sine ullius contingentiæ admixtione, absolutè tamen potentiæ divinæ, & cuivis perfectioni intrinsecæ Dei principalior & essentialior necessitatis gradus in essendo attribuendus est, quam omni objecto creato in ratione possibilis, cui minus convenit principaliter & secundariò tantum.

419 Assertio est *Scoti* 1. d. 30. q. 2. §. *Ad secundam quæstionem* n. 15. inter alia sic ajentis: *Nihil aliud à Deo est ita formaliter necessarium, sicut Deus secundum quamcunque positionem, quia si poneretur aliquid formaliter necessarium non tamen sine omni dependentia ad primum necessarium, & ideo non esset ex se necessarium*, quomodo autem hæc necessitatis inæqualitas non adversetur doctrinæ suæ & dictis nostris superius q. 1. a. 1. & q. 3. allatis, quatenus dicimus cum Doctore possibilitatem logicam non esse mutuandam ab aliquo extrinseco, statim infra dabimus rationem, potestque ab actu malitiæ Assertio explicari simili ratione, qua dicimus unam malitiam alia majorem aut minorem absque ullius bonitatis admixtione opposita, nam licet quæcunque malitia proscribat omnem boni moralis rationem, manifestum tamen est dari intra latitudinem malitiæ gradum inæqualitatis intensivæ; Ita si spectetur possibile secundum quod refert meram negationem non repugnantiæ ad essendum, tum licet omnino necessarium sit quod cunctam ablegat contingentiam extra totam ambitus sui latitudinem, nequaquam tamen infert tantum necessitatis gradum quantum ipse Deus, quod probatur ex dictis hujus Controversiæ q. 2. sub *Assert.* 4. n. 395. & seq. ubi ostendimus ens possibile esse negationem exercitam seu meram non repugnantiam actualem cum positione signata sive connotata. Ex quibus

420 Probatur Assertio, illud est magis necessarium, quod nec formaliter, nec ratione connotati, id est quod nec in actu exercito, nec in actu signato est dependens ab alio tanquam à principio, quam illud, quod licet formaliter non dependeat, dependet tamen quoad connotatum: atqui possibile logicum, licèt ratione sui prædicati formalis, quod est ipsa actualis non repugnantia, nullum dependentiæ aut entis participati referat conceptum, ut sic enim non efficitur ab ullo agente, quoad illam non repugnantiam, connotat tamen positivam & physicam realitatem effectus, quæ dependet à Deo, cum non sit ens à se, sed ens ab alio ut patet, potentia Dei econtrà & quæcunque perfectio illius intrinseca neque ratione sui conceptus formalis, nec ratione connotati extrinseci dependet ab aliquo extrinseco, quod habeat causalitatem principii respectu illius; ergo potentia Dei & quæcunque illius perfectio est magis necessaria, quàm omnis Creatura possibilis *& cæt.*

Confirmatur ex *Scoto* l. c. num. *16.* ubi sic habet: *Respondeo primo, non est illud possibile ex se necessarium in tali esse, etiam necessarium formaliter in esse possibili, sicut est Deus ex se actus necessarius; & subdit in solutione secunda objecti. Secundo nec illæ quidditates sunt ex se necessariæ in illo quidditativo, sed per participationem sunt sic necessariæ entitates* Quibus Doctor loquitur de ente possibili, ut signat entitatem participatam seu ratione connotati, non de illo, ut absque illo respectu ad causam extrinsecam sit formaliter à seipso, quatenus ut suprà luculentius visum, illa non repugnantia etiam ablata potentia Dei adhuc non absumeretur. De quoad expeditiorem intelligentiam & ad obviandum melius argumentis pono Assertionem sequentem. 421

§. II.

In quo sensu possibile logicum pendeat vel non pendeat à potentia Dei.

* * *
* *

ASSERTIO II.

Ens posſibile logicum quoad formale significatum & in recto non pendet à potentia Dei, pendet tamen ratione connotati, quod exprimit in obliquo.

422 RAtio primæ partis est, quia ens merè negativum nequit esse objectum vel terminus influxus potentiæ executivæ, sed ens posſibile importat pro ratione formali ens negativum: ergo illud non effluit à causa prima, ac ea ratione dixit *Doctor*, quod ablata potentia adhuc non tolleretur logica posſibilitas, *secundò* mera negatio non exigit positivum influxum principii, ut existat.

Sed ex hoc ipso arguitur contra *Assertionem*. Posſibilitas logica, eo quod sit non repugnantia ad existendum, concernit ipsam existentiam: ergo & concernit potentiam Dei, à qua effluit existentia creata, igitur ablata Dei potentia, non manet superstes posſibilitas logica.

Posſibilitas logica connotat existentiam per modum logicæ potentiæ.

Respondeo verum esse, quod ens posſibile, quatenus est actualis negatio non repugnantiæ ad existendum ratione connotati involvit in obliquo existentiam principii, vel conditionem illius, à quo effici posſit existentia connotata, quæ est ens participatum, sed malè indè infertur, quod ablata Dei potentia non maneat logica posſibilitas, hæc enim non connotat existentiam per modum potentiæ physicæ, sed ad instar habilitatis negativæ vel potentiæ purè logicæ, qualis stat etiamsi per impossibile prima causa realiter non existeret, imo etsi contradictionem involveret, cum datâ tali implicantia adhuc ad id valet, ut quantum est de se, non repugnaret rem existere, si per implicationem causæ non impediretur, sicut etsi implicaret subſtantia implens spatium imaginarium quale spatium, quod & in opinione quorundam habilitas negativa, seu non repugnantia ad sui replebilitatem serviret ad hoc, ut si daretur subſtantia replens, reapse repleri nil prohiberet.

423 Et ex hoc tertio probatur *Assertio* quoad primam partem: posſibile logicum, etiam data hypothesi, quod non existeret aut posſibilis esset causa prima, adeoque nunquam tale ens posſibile ad actualitatem reduci posſet, adhuc quoad formale significatum esset posſibile absolutum ac extractum à ratione meri posſibilis conditionati: *ergo* non pendet à potentia vel extrinseco principio: *Antecedens* probatur: quia quantum ad formale significatum & in recto consistit in actuali & exercita negatione: sed talis, ut detur juxta naturam suam, non eget influxu principii positivi.

Ratio secundæ partis est in aperto, quia formalis non repugnantia formaliter est ad positionem & existentiam, quam concernit in actu signato, ut ostensum est supra q. 2. sub Asſer. 4. in fine in responso ad objectionis confirmationem.

Si dicas quod eo ipso, quo ens posſibile positionem connotat & existentiam rei, qualis de facto esse non potest sine potentia Dei, adeoque connotatio ea signatæ existentiæ sit per modum transcendentalis & positivæ habitudinis in existentia fundatæ, ac viciſſim potentia Dei necessariò referat habitudinem ad ens posſibile saltem transcendentalem, adeoque si posſibile fieret impoſſibile, non remaneret potentia, eo quod relatio nequeat spectare terminum impoſſibilem & implicatorium. Verùm hæc objectio omnino neganda est ex iis, quæ in superioribus non semel duntaxat expedivimus, nimirum potentiam Dei non esse propter objecta creata, ita ut destructo objecto pereat, consequenter licet potentia physicè relata ad productum ita sit propter effectum, ut illo destructo vel implicante implicaret, quomodo si implicaret calefactio, implicaret etiam facultas calefactiva, secus tamen est de potentia Dei, cujus necessitas in essendo non modò ab existentia sed ab omni entis creati posſibilitate simpliciter independens est.

Deinde quamvis ea connotatio importaret habitudinem transcendentalem & respectum positivum, quod tamen apud *Scotum* 1. d. 30. q. 2. ubi in propriis terminis quærit, *utrum Dei ad Creaturam posſit esse aliqua relatio*, ibi §. *Secundam quæstionem* nu. 14. & seq. omnino negatur, aliunde tamen nihil concluderet, cum nihil implicet transcendentalem habitudinem terminari ad impoſſibile, ut alibi est determinandum.

* * *
* *

§. III.

Ex dictis expeditè respondetur ad argumenta, quorum citatio & mentio, ubi proponantur, in titulo Quæstionis præcessit.

425 *Ad primum*, quod proponitis q. 1. a. 2. num. 363. nimirum nullum dari medium inter esse à se & esse ab alio, adeoque cum solus Deus sit ens à se omne aliud & ita ens possibile est ab alio & cæt. Respondetur ex præmissis, cùm possibile logicum in actu exercito sit mera non repugnantia ad essendum ratione sui prædicati formalis, quod est mera negatio actualis cum positione signata sive connotata, nullum refert entis participati aut participabilis ab alio conceptum, neque sic effluit ab ullo agente, quoad illam negationem non repugnantiæ, licet quoad physicam & positivam realitatem effectus, quam connotat, quæ exposcit Deum ut causam, pendeat à Deo in genere causæ efficientis. Unde *distinguo argumentum*: nullum ens positivum potest assignari medium, quod non sit vel esse à se vel ab alio concedo, nullum ens quod præ se fert meram negationem in actu exercito cum connotatione entis positivi in actu signato sive in potentia, negatur, sicut enim secundum hoc quod est actualis negatio non repugnantiæ non effluit à Deo, ita nec est ab alio.

Creatura possibilis ratione connotati pendet à Deo.

Ad secundum quod si per impossibile Deus non esset, tolleretur esse possibile patet in corpore & ex alibi sæpè dictis.

426 *Ad tertium* quod antecedens non subsistat, patet etiam in corpore quæstionis in utroque §. & in digressione incidentali Cont. 12. q. 7. num. 257. & seqq. & alibi. Similiter non subsistit quod infert dicens: *Ergo à fortiori ens possibile est connexum potentiæ*, utpote, quam ut non repugnantia ad existendum concernit ut principium illius existentiæ, adeoque possibilitas logica non potest adstrui non pendens sine Deo.

427 Hanc objectionem tamen ut promisi superius sub num. 398. ita promoveo, & urgeo rem à possibilitate objectiva, quam concedunt Scotistæ esse posteriorem ipsa Dei potentia; Ideo possibilitas objectiva est dependens à potentia Dei, quia spectat potentiam ut rationem ejus in genere causæ efficientis: sed implicat possibilitas logica quæ essentialiter est non repugnantia ad existendum, ut non etiam concernat & spectet potentiam ut rationem ejus existentiæ in genere causæ efficientis, *ergo*: *majorem* concedunt: *minorem* probo: utrumque possibile consistit in actu primo & signato, sicut enim possibile logicum dependet tantum in actu signato à Deo, seu ratione connotati, ut dictum est in corpore, cum non exerceat, sed signet positionem, quæ exigit primam causam, ita etiam possibile objectivum pendet solum à Deo in actu signato, cum nondum sit ens actuale: atqui possibile objectivum etiam in actu signato ita dependet à Deo, ut implicet non dependere ab illo: ergo similiter implicat possibile logicum, quod non dependeat à Deo.

Respondetur hanc instantiam facilè infringi ex dato superiùs discrimine inter possibile logicum & possibile objectivum ab *Aureolo* & aliis appellatum possibile physicum, nimirum quia imbibit essentialiter virtualem inclusionem esse physici & positivi effectus in causa, quæ est ipsamet quidditas causæ connotantis effectum, possibile logicum econtra dicit meram negationem non repugnantiæ ad essendum cum connotatione tantum extrinseca positionis in actu signato, unde dependentia possibilis objectivi à Deo non est posita in dependentia actus signati nisi quà imbibit virtualem inclusionem esse positivi effectus intra eminentiam causæ, quam non importat possibile logicum, licet ergo concernat esse positivum in actu signato, per hoc non est asserenda dependentia posibilis logici à Deo, quatenus est negatio non repugnantiæ, qualiter autem ratione connotati dependeat, abundè dictum est in corpore quæstionis.

Discrimen logici possibilis à physico.

Ad confirmationem sub num. 364. luculentè responsum est in actis q. 2. sub Assert. 4. à num. 396. usque ad 401. quò remitto Lectorem.

* * *
* *

QVÆSTIO

QUAESTIO V.

Diſcutitur, quid denique comportent Auctores in Quæſt. ſecundæ claſſis citati q. 1. a. 2. n. 365. contra doctrinam ibi. a. 1. Aſſer. 1. & 2. datam. Vbi an poſſibile logicum pendeat à Deo in genere cauſæ exemplaris.

SUMMARIUM.

1. *Poſsibile logicum eſſe independens à Deo.* 428.
2. *Vt ſit exemplatum à Deo habet à ſeipſo per non repugnantiam ad ideari.* ibidem.
3. *Dei Cauſalitas ad extra eſt contingens non neceſſarium.* 429.
4. *Cauſa exemplaris & efficiens ſe mutuò trahunt complexa.* n. 430.
5. *Duplex functio cauſæ exemplaris, an ſubſiſtat.* n. 431. *& ſeq.*
6. *Conſectarium, quod poſsibilitas logica non conſiſtat in denominatione ab omnipotentia Dei deſumpta.* n. 433.

ASSERTIO UNICA.

Poſſibile logicum ſpectatum in ſeipſo non trahit à principio extrinſeco ſed à propria ſua quidditate habilitatem ſeu à ſeipſo eſt non repugnantia ut ſit exemplatum à Deitate.

428 EST conformis *Scoto* 1. d. 36. q. unica n. 13. textum vide q. 2. ſub *Aſſert.* 5. num. 404. quam huc reſcribere ſuperfluum eſt.

Probatur Aſſertio ratione deprompta ex *Scoto* ibi. Poſſibile & impoſſibile ſecundum ſe ſpectata proſcripta quacunque comparatione ad cauſam extrinſecam, v. g. homo & chymera ad hoc ut à Deo exemplentur, vel æquè repugnant, vel non æquè repugnant. Si primum ergo ſicut chymera per nullam potentiam poteſt pendere à Deo in genere cauſæ exemplaris, ita nec homo, ſed hoc nemo dixerit; ergo nec hoc primum: manet itaque ſecundum, quod non æquè repugnent; ergo competit enti poſſibili formaliter à ſe, quod ſit non repugnantia ut poſſit ideari à Deo, quomodo chymeræ contradicit formaliter à ſe eſſe tale à Deo ideatum, idque Doctori l. c. num. 14. conſonat ſic ajenti: *Homini in æternitate ineſt non eſſe aliquid & chymeræ non eſſe aliquid, ſed homini non repugnat affirmatio, chymeræ autem repugnat*, ac ut oſtendat illius non eſſe penitiorem rationem invenibilem, ſubdit; *ſed quare*, inquit, *homini non repugnat & chymeræ repugnat? ratio eſt quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud, & hoc in quocunque intellectu concipiente*; ac ſi diceret chymeræ repugnat poſitio in actu ſignato, ut à Deo in genere cauſæ exemplaris pendere poſſit, quid eſt chymera, cui id repugnat, ut ultima ratio illius deferenda ſit in naturam talis entis; & homini non repugnat poſitio in actu ſignato, non quia prius pendet à Deo in genere cauſæ exemplaris, ſed quia eſt talis naturæ, ut illi non repugnet, poſſe ſic à Deo pendere in cauſa exemplari & ideali, quod amplius elucidat dicens: *Nec hoc fingendum quod homini non repugnet, quia eſt ens in potentia, & chymeræ repugnat, quia non eſt ens in potentia, imò magis è converſo, quia homini non repugnat, ideo poſsibile eſt potentia logica, & quia chymeræ repugnat, ideo eſt impoſsibile impoſsibilitate oppoſita.* Ergo ſicut ex mente *Scoti* ideo eſt ens in potentia ſeu poſſibile logicum quia non repugnat, ideo pendet à Deo in genere cauſæ exemplaris, quia illam dependentiam antevertit non repugnantia ad ita à Deo dependendum, ſive quia illi non repugnat iſta dependentia.

Poſsibile & impoſsibile an æquè poſſint exemplari à Deo?

Confirmatur Aſſertio ex *Scoto* 1. d. 7. q. unica §. *Ad quæſtionem igitur reſpondeo.* num. 7. ubi expreſsè docet, ſi per impoſſibile ante mundi creationem Deus non fuiſſet, tamen aliquis intellectus componens hanc, mundus erit, ſi poſtea Deus potens creare mundum eſſe incepiſſet, hæc fuiſſet poſſibilis, non propter aliquod principium in re poſsibili, non propter activum ſibi correſpondens, ſed quia termini non repugnarent ſeu propter ſolam non repugnantiam terminorum vide literam *Doctoris*, quam produxi q. 1. hujus Cont. a. 1. num. 355. quæ ſi adjungatur illi quam ſuperius citavimus & ſubinferius *probatione tertia* afferemus Scotiſtis, quidquid dicat *Sichen* cit. num. 356. non eſt integrum dubitare de mente Scoti, Do-

quod

quod voluerit logicam possibilitatem à Deo sive in genere causæ efficientis, sive in genere causæ exemplaris independentem.

Probatur secundò à causalitate Dei ad extrà; nulla Dei causalitas seu influxus Dei ad extra est necessarius, sed omnis talis liber est & contingens: ergo & causalitas exemplaris seu influxus ad ideandum effectum, quicunque fuerit, Deo liber erit, consequenter attenta natura libertatis qua potest terminari ad opposita objecta ad extra vel posset fieri, ut possibile fieret non possibile, aut vicissim non possibile fieret possibile, vel non posset fieri: primum nemo dicat, implicat enim, quod ex se est logicè possibile & chymeram esse repugnat, fiat chymera & impossibile, aut fiat repugnantia ad existendum, quod est non repugnantia ad existendum: Icaque secundum dicendum, *quod non possit fieri*, da rationem, quare non potest fieri? aliam non invenies præter eam *Scoti* 1. d. 37. q. unica. num. 14. *Prima omnium ratio & non reducibilis ad aliam, quare homini non repugnat esse*, adde & idem est, quare illi non repugnat à Deo pendere in genere causæ exemplaris, *est, quia homo formaliter est homo, & hoc sive in re realiter, sive in intellectu conceptibiliter, & prima ratio, quare chymeræ repugnat esse; est chymera in quantum chymera*; quid desideramus clarius ad probandam possibilitatem entis tam parum pendere à Deo in genere causæ exemplaris, quàm in genere causæ efficientis, volo nihilominus tertiam superaddere probationem.

Assertio itaque tertiò probatur. Patroni hujus opinionis, cum videant nihil posse effici à divina potentia ad extra, quod non reali aliquo influxu procedat, ac proinde cum possibilitas entis non in tempore, sed à tota æternitate rebus congruat, si esset dependens à causa efficiente fieret, aut quod Deus ab æterno operatus fuisset possibile Creaturarum per veram actionem ad extra, quod est contra fidem, aut quod ens possibile suam possibilitatem sortitum fuisset non ab æterno, sed in tempore, idcirco ne in alterutrum incidant absurdum, fatentur ens possibile non pendere à Deo in genere causæ efficientis, ne tamen propterea videantur asserere illud omni modo esse imparticipatum quid, ac independens à Deo, volunt illud dependere à Deo velut à causa exemplaris quod sufficit, ut sit saltem implicitè, ut ait *Sichen*, ens participatum atque à Deo dependens. Verum hæc doctrina rejicitur *primò*, tum quia secundum Philosophum & multorum opinionem causa exemplaris non est diversa à causa efficiente, cum non sit nisi causa efficiens rationabiliter sive per intellectum, unde in superioribus de *cont.* de ideis q. remonstravimus quod idem prorsus sit effectus causæ exemplaris & efficientis: consequenter, quod dependet à Deo in genere causæ exemplaris eo ipso dependet etiam in genere efficientis; tum etiam, secundò quia causa exemplaris ordinatur ad operationem & effectionem, definitur enim exemplar esse id, ad quod operans respicit, ergo videtur implicare effectum dependere à Deo in genere causæ exemplaris & non efficientis.

Adhæc *Granadus* respondet apud *Brinzennum cont.* 12. in *appendice* de *possibilitate entis* num. 41. duas functiones competere exemplari erga exemplatum una est, qua efficiens contrahit & dirigit ad edendam talem vel talem speciem, ac illud munus exercere nequit nisi agens producat physicè ideatum. Secunda functio est non spectans immediatè ad agens, sed ad ipsum exemplatum, quod immediatè specificat per modum causæ formalis extrinsecæ: prima functio involvit rem in actu exercito; secunda solum in actu signato, quare licet possibile non est ens actuale exercitum, sed solum potentiale & signatum ita saltem illa causalitas exemplaris imò ut arguunt alii, causalitas efficientis, quam præstat Deus deferri non debet possibilitati entis per modum actualis & exerciti influxus, sed tantum signatæ & potentialis causalitatis, sicut ipsum possibile solum est quid potentiale & signatum, nullatenus quid actuale & exercitum: hic discursus, qui primo obtutu haud infundatus occurrit, attamen nil obtinet, & optimè à *Brinzenno* l. c. num. 13, & iterum 48. eruditè & scitè occlu-„ditur, quod licet ens possibile, ut refertur ad „actualem & exercitam conditionem existen-„di, sit quid potentiale, quatenus tamen secun-„dum nostram doctrinam dicit meram non re-„pugnantiam ut pro tali tempore existat, quid „actuale & exercitum est. Cum ens possibile non sit in potentia non repugnans ad existendum, sed in actu non repugnans aliàs non esset actu possibile, sed esset possibile potestate ad ipsam possibilitatem.

Aut igitur (concludit) talis non repug-„nantia ad existendum, quæ actu, & non poten-„tia cohæret enti possibili, est mera negatio, ut „voluit *Scotus*, ac proinde non pendet à prima „causa in aliquo genere causalitatis positivæ & „realis. Aut est vera positio pendens à Deo ex-„plariter & tunc aliquid aliud à Deo, ne-„cessariò & non liberè terminaret causalita-„tem Dei ad extra, quod est absurdum; ita op-„timè *Brinzenno* datum responsum infirmum „esse, Scotique sententiam infractam esse o-„stendit.

Brinzenno.

* * *
* *

Reſpondetur ad rationes allatas in oppoſitum q. 1. a. 2.

432 QUam intricata fuiſſent reſponſa ad has & ſuperiori quæſtione difficultates objectas, niſi præmiſſa fuiſſet quæſtio ſecunda hujus Controverſiæ, in qua natura & ſtatus totius poſſibilitatis rerum clarè expenditur, tam obvia ſunt modo ad ſingulas objectiones, ut præter dicta vix opus ſit aliud afferre, ita quidem illud, in quo ſe fundat *Sichen* num. 366. præter hoc quod exploſum ſit per hæc, quæ diximus ſub *Aſſer.* 4. & 5. q. 2. inſuper hic nullo negotio corruit ex probatione tertia & reſponſione Brinzenni.

Quod ab aliis affertur ibi num. cit. uno ſimiliter verbo ſolutum manet, quod ſicut poſſibile logicum, de quo nobis eſt ſermo, duntaxat eſt mera non repugnantia & habilitas negativa ad exiſtendum, ita & ratio imaginis Deitatis quæ cujuſcunque Creaturæ etiam viſionis beatificæ, eſto ſit ſpecies expreſſa Deitatis, in iſto ſtatu poſſibilitatis, eſt tantum negativa ſeu non repugnantia, ut Deum exprimere poſſit, quantum eſt de ſe, eſto Deus non exiſteret juxta paſſim dicta.

Conſectarium contra illos, qui ponunt poſſibilitatem rerum in denominatione poſſibilis ſumpta ab omnipotentia divina.

433 EX *his* argumentis incidenter obſervandum propono, non benè explicari poſſibilitatem rerum per denominationem extrinſecam deſumptam ab omnipotentia divina, quem loquendi modum meritò rejicit *Scotus* ſupra afferens quod circumſcripta omnipotentia activa in rerum natura adhuc darentur multa logicè poſſibilia, imò omnia ea, quæ modo dantur, cum tunc, ſicut nunc omnia prædicata dicerent non repugnantiam ad poſſe invicem connecti, quæ ſola ſufficit ad eſſe poſſibile logicum, ſicut & ſola repugnantia eorum, quæ ſunt incompoſſibilia ad conſtituendum impoſſibile, ſeu ad reddendas enunciationes terminorum de ſe implicatorias, non ergo, ut dicantur res poſſibiles & impoſſibiles, trahunt ab habitudine quadam ad Omnipotentiam Dei, ſed à rationibus ſuis formalibus, quantum enim eſt ex parte divinæ Omnipotentiæ, cum illa ſit infinita virtus, ſi ab illa ſtaret, æquè poſſet producere Chymeram ac hominem, quod autem non poſſit, eſt quia id Chymeræ repugnat, econtra, quod hominem producere poſſit, eſt quia illi formaliter & de ſe non repugnat.

Poßibilitatē non trahi ab omnipotentia, nec eſſe denominationem ab illa deſumptam

Si opponas non eſſe eandem rationem de poſſibilitate, quæ eſt de impoſſibilitate, contradicit prima & ſecunda ratio ex quibus, & ex Auctoritate *Scoti* ibi adducta oſtendimus, non eſſe fingendum hanc eſſe veram, quia Deus Chymeram producere nequit, ſeu quia non eſt ens in potentia, ideo Chymera repugnat, ſimiliter hanc, quia homo eſt in potentia, ideo non repugnat, ſed econverſo, quia Chymeræ repugnat, ideo à Deo illam produci repugnat; & quia homini econtra non repugnat, ideo produci poteſt, deinde extra dubium eſt Deum videre in ente poſſibili aliquid, ratione cujus ſit poſſibile poſſitque habere denominationem poſſibilis ab omnipotentia Dei, quale ſanè non videt in Chymera: ergo Chymera habet ex ſe formaliter aliquam repugnantiam, quam non habet ens poſſibile ac viciſſim illud habet aliquam ex propria ſua ratione non repugnantiam, quam non habet Chymera.

* * *
* *

QVÆSTIO

QUAESTIO VI.

An creatura possibilis sit quid medium inter ens reale & rationis, ubi brevis occurrit relectio super doctrina *Poncii* & *Mastrii* Scotistarum Recentiorum de ente possibili.

SUMMARIUM.

1. *Ens possibile non est quid medium inter ens rationis & reale.* 434.
2. *Mastrii rationes exarmantur à n.* 437. *usque ad finem* quæst.
3. *Ens possibile cur de sua aseitate gloriari non possit.* 439.
4. Animadversio justa in censuram & doctrinam Mastrii. 440.
5. *Mastrius amplius refutatur, & doctrina Poncii stabilitur.* 442. *&* sequentibus numeris.
6. Poncius *vindicatur à pertinaci censura Mastrii. n.* 442. §. Ad sextum.
7. *Quis fuerit error Wicleffi.* ibidem.
8. *Possibilitas proxima inde trahatur. numero* 443.

ARdenter hac de re digladiantur inter se *Poncius* in metaphysica disp. 69. q. 5. in *additione* ibi, & *Mastrius* similiter in metaphysica. d. 8. q. 1. a. 2. & Tomo 1. de Deo disp. 3. de intellectu divino q. 2. de ideis divinis, art. 2. in replica per totum.

ASSERTIO I.

Illud esse, quod creaturæ dicunt ab æterno, tam in recto quam in obliquo, non est quid medium inter ens, quod est in anima, & ens quod est extra animam.

434 HÆc est contra *Poncium*, qui quoad hoc à *Mastrio* in Metaph. l. c. & Tomo 1. de Deo. d. 3. & q. c. rectè impugnatur, primo quod illud esse debeat dici ens reale, cùm apud *Philosophos* per ens reale & extra animam non tantum intelligitur, quod actu existit, sed & quod existere potest, ut ostendimus supra q. 2. in allatis pro *Assertione* quinta.

Ens possibile non mediat inter ens reale & rationis.

Secundò, quia ens reale in tali acceptione, id est, pro eo quod vel actu existit vel cui existentia non repugnat, contradictoriè opponitur enti rationis, ac utrinque sibi in suis rationibus formalibus ita contradicunt, ut neque aut per extremorum, ut patet participationem, aut per abnegationem extremorum illud esse creaturarum ab æterno extans, inter illa medium esse valeat, neque fuit mens *Poncii*, ut satis patet in sua additione, ubi *Mastrii* argumentis respondet, eatenus illud ponere medium, ut si quis interrogaret, an ens possibile rerum sit rationis vel reale, etsi *Poncius* responderet, non esse reale in hoc sensu, quod non sit actu realiter existens, indubiè tamen diceret esse reale, & ita sub hoc realitatis extremo contineri, ut sit adæquatè oppositum & contradistinctum enti rationis, esto haberet quandam proportionem seu similitudinariam faciem cum ente rationis in hoc, quod, sicut ens rationis non existit reapse, ita illud ens reale Creaturarum ab æterno actu non sortiatur existentiam, esto existentia illi non repugnet; in quo differt ab ente rationis, atque eatenus esse quoddam medium inter ens reale & rationis, in quo sensu cum *Poncius* locutus sit, ad bonum & accommodum intellectum suam doctrinam reducit, ut non sit tanta criminandus censura, qua eum. Il. cc. flagellat *Mastrius*, quasi fomentum præbeat calumniæ eorum, qui Doctori nostro errorem Wicleffi implumi calamo & veri vacuo adustulare voluerunt, tale quid, qui ex hac sic explicata doctrina *Poncii* trahere vellent, haud leviter lippiunt. Sed pergamus ad Relectionem, & collationem doctrinæ eorundem.

Defenditur Poncius contra Maſtrium.

435 ULterius à *Maſtrio* impugnatur *Poncius* d. 8. met. n. 14. & d. 3. de *Deo* q. 2. n. 56. quod dicat illud eſſe Creaturarum ab æterno eſſe independens à Deo, quantum adhoc, quod non fiat, nec per intellectum, nec per voluntatem divinam, ſed quod competat ipſis à ſeipſis formaliter ſine conjunctione ullius cauſæ efficientis, quæ doctrina cùm à nobis ſuperius q. 1. & q. 3. & 5. tradita ſit, adeoque ejus impugnatio tam impetit noſtram, quam *Poncii* doctrinam, argumenta *Maſtrii* prorſus abigemus, & ſunt, quæ ſequuntur.

Argumenta *Maſtrii*.

436 PRimò itaque opponit, quod poſſit gloriari Creatura, quod habeat aliquod eſſe à ſeipſis omnino independenter à Deo. *Secundò* de ratione creaturæ eſt, quod in quocunque ſuo eſſe, quo recedit à nihilo, ſive ſit eſſe diminutum ſivè completum dependet à Deo, nam totum eſſe ipſius eſt participatum. *Tertiò* quia quod ſemel eſt imparticipatum, ſemper deinceps eſt tale, ergo quando poſtea completur in tempore per exiſtentiam, participatum eſſe non poteſt. *Quartò*, quia hic dicendi modus eſt abſurdior, quam *Henrici*, quia hic ponebat dependentiam eſſe realis, quod Creaturis tribuebat à Deo tanquam à cauſa exemplari, *Poncius* vero ponit eſſe diminutum (eſſe diminutum à *Maſtrio* accipitur pro ipſo eſſe poſſibili quod ſemel pro ſemper obſervandum) Creaturarum omnino independens à Deo.

Maſtrius.

Noſtra & *Poncii* Reſponſa.

437 *Fundamentum Maſtrii.* EVaſiones, ſic vocat reſponſa, quæ *Poncius* affert, facile præcluduntur, inquit, *Maſtrius* l. c. de intellectu divino q. 2. num. 57. notatque ibi aliud eſſe, quod res habeant poſſibilitatem *ex ſe ipſis*, & aliud quod habeant *à ſe ipſis*, primum, quo explicatur habitudo formalis, ſolum ſignificat, quod intrinſecè ita ſe habeant, ut non involvat aliquam implicantiam, nec eis repugnat eſſe, veriſimum eſt. Secundum quo per particulam *à ſe vel ab alio* denotatur habitudo cauſæ efficientis, eſt prorſus falſum, quia ſignificat, quod illam intrinſecam poſſibilitatem habeant à ſe ipſis, & non communicatam ab altero, ſed independenter à quocunque extrinſeco, quod ſine falſitate aſſeri nequit, quare quod *Poncius* in omnibus ſolutionibus datis aſſerit, Creaturas ab æterno habere eſſe poſsibile non tantum ex ſe ipſis, ſed etiam à ſeipſis non tantum in genere cauſæ formalis, ſed etiam in genere cauſæ efficientis, nullo modo concedi poteſt.

438 *Reſutatur ratio* Maſtr. Sed totum hoc fundamentum Maſtrii in arena & fabulo nec ratione nec auctoritate compacto poſitum eſſe oſtenditur à principio uſque ad finem hujus Controverſiæ ubique Doctoris noſtri clariſsimam literam afferentis in oppoſitum, quod eſſe Creaturarum ab æterno non ſolum habeant ex ſe ipſis, quod poſsint exiſtere in tempore, ſed & à ſe ipſis, lege q. 1. aſſer. 1. num. 354. & ſeqq. & *aſſertionem* ſecundam. num. 357. an non *Scotus* ibi expreſsè ſub num. 355. doceat intellectum divinum nullo modo conferre Creaturis logicam poſsibilitatem, quaſi illa, quoad formale ſignificatum ſuum effluat ab intellectu operativo Dei, adhæc lege *quæſt.* 3. & binas in ea *aſſertiones*, lege *quæſtionem* quartam, quæ expreſsè in trutinam vocat, an ex mente *Scoti* ens poſsibile ab æterno pendeat à Deo, lege item *quæſtionem* quintam, & ubicunque invenies, ſi cum *Scoto* loqui velis, non ſubſiſtere præjactum Maſtrii fundamentum.

Progrediamur itaque ad rationes in particulari. *Ad primam* reſponſio *Poncio* non ſupponit falſum, quod Creaturæ poſsibiles, qua tales, à ſe ipſis habeant formaliter quod eis non repugnet, quod ſint poſsibiles, quod ſint non repugnantia ad exiſtendum *& cæt.* Conſequenter optimè reſpondet & retorquet argumentum in *Maſtrium*: ſi poſſent Creaturæ, eò quod à ſeipſis habeant ſuam non repugnantiam ad exiſtendum, gloriari, quod ſimiliter gloriari poſſent, quod ex ſeipſis & intrinſecè habeant, ut non repugnet illis eſſe, & ſicut hoc non videtur *Maſtrio* inconveniens, ita nec alterum videri debet, quamvis revera hæc objectio parum ſucci habeat, quomodo enim gloriabitur purum non ens, quod de ſe ſit & à ſe negatio? Soli Deo honor & gloria, quia eſt ens à ſe, ens infinitum à ſe, omne bonum & totius boni ſatiativum à ſe hoc ens à ſe, tantum recedit ab ente poſsibili, quantum Deus à nihilo id eſt in infinitum, quando itaque dicimus ens poſsibile eſſe à ſe idem eſt ac dicere nihilum eſſe à ſe negationem, non repugnantiæ ad exiſtendum quæ ſo quis dicet hoc eſſe objectum gloriationis? nonne illi quodvis minutulum actualitatem ſuam opponere poſſet, ſi enim *melior ſit canis vivus Leone mortuo* Eccleſiaſtes 9. non eſt, cur ſtercus potius de ſua actualitate gloriari nequeat, quia ipſi *ex ſe* competat ratio formalis, quàm pura negatio non repugnantiæ, de quo namque nihilum aſſurget in altum? de ſua nihileitate? aut de eo quod connotativè importat, aut in actu ſignato & potentiali? vide acta & dicta q. 4. *Aſſer.* 2. ubi expreſsè ſtatuimus ens poſsibile ratione connotati pendere non ab intellectu divino ſolùm, ſed ab ipſa Dei

Dei potentia seu divina voluntate, de ente possibili autem quo ad connotatum in proposito non disceptamus, sed de ipsa non repugnantia ad existendum, quam dicimus creaturæ à se & ex se formaliter competere: ergo creaturæ potius gloriari possent, quod illis ex suiipsis & intrinsecè non repugnet habere, quod habent, non quod à se habeant non repugnantiam ad existendum.

440 Ex quo paret ad secundam rationem, quæ seipsam annihilat, & nostram opinionem affirmat, quia, inquit, de ratione creaturæ est, quod in quocunque suo esse quo recedit à nihilo, dependeat à Deo, sed ens possibile non recedit à nihilo ut q. 2. n. 404. ostensum est ex *Scoto* 1. d. 36. q. unica n. 13. ubi conceptis verbis ad objectionem, *quod tunc unum nihil magis est nihil, quam aliud nihil*, respondet sub n. 14. *textus*, concedens, quod homini in æternitate insit *non esse aliquid*, & *chymeræ insit non aliquid*, optimè proinde & conformiter ad mentem *Scoti Poncius* respondit, quod propriè loquendo ens possibile non recedat à nihilo, neque satisfacit ea *Mastrii* acceptio entis possibilis, semel pro eo, quod actu non est, illudque possit dici non ens sumendo ens verbaliter, ut sensus sit quod non est existens; semel sumendo ens possibile nominaliter ac essentialiter, quod tunc possit debeatque dici ens; quando enim accipitur ens possibile nominaliter ac essentialiter est formaliter ipsum non ens, seu quod non existit, quomodo enim cum in neutra acceptione extrahatur ratio entis possibilis extra statum possibilitatis & objectum scientiæ simplicis intelligentiæ, erit in una ens, & in alia non ens manens in eodem statu & objecto non entis, unde revera opponens totum concedit, quod intendit nobiscum *Poncius*, quamvis verbis neget. Quod autem urget de illo esse diminuto, quod in illo consistat esse essentiæ, secundum quam æquè pendeat creatura à Deo, ac secundum esse existentiæ est contra ipsummet *Mastrium*, vel nimium probat, nam cùm ipse velit *illud diminutum* creaturæ esse à solo intellectu Dei, existentia autem est à voluntate seu Omnipotentia Dei, fiet illud diminutum dependens esse à voluntate Dei ac ipse actus existentialis, quod tamen ipse negat figens nobiscum in hoc discrimen possibilis logici à possibili physico & objectivo, quod hoc concernat potentiam Dei, illud minimè. *Deinde* perperam confunditur à *Mastrio* n. 57. cit. disp. de ideis & n. n. sequentibus ibi, esse diminutum cum ipsomet esse rerum possibili, quod *illud esse diminutum sit realiter identificatum, quantum ad omne positivum cum ipso esse reali simpliciter, imò esse ipsummet esse simpliciter*, ut expresse habet l. c. n. 59. *ante finem*. Esse rerum possibile est negatio non repugnantiæ ad existendum, esse diminutum quid sit vide q. 1. hujus Cont. a. 1. & q. 3. per totum, signanter sub Assert. 2. & denuò ad finem quæstionis in Corollario ubi exactè dicitur esse diminutum, quod à *Scoto* dicitur esse fundamentum relationis rationis, de se autem, si spectetur penes passivam intellectionem, nihil esse præter putam & puram denominationem *cogniti esse*, eo ipso quo creaturæ possibiles tendentiam divini intellectus terminant, in sua essentia in secundo instanti naturæ intuentis illas, esto itaque producat intellectus illud esse cognitum objectivè in seipso, non tamen ipsum ens possibile, qua dicit illam non repugnantiam ad existendum, (de connotato illius non loquimur,) majorem proinde propter illud μηδὲν ἄγαν a *Mastrio* exspectassemus modestiam, qui revera in censurando Poncio graviter excessi, dicendo quod utatur *perverso loquendi modo & pessimè dicat* possibilitatem logicam esse imparticipatam & à Deo independentem, *& quod Catholicè loquendo nullum esse reale admitti possit in creatura, quòd dicatur imparticipatum*, quid restat nisi ut dicat clarius *Poncium* arietare contra fidem, nosque eadem censura feriat, quod totum provenit inde, quod hic Auctor sua potius sensa, quam *Scoti* sequatur penitus assumens pro principio, quod ens possibile imò ipsum diminutum ut l. c. ex ipso adduxi, sit realiter ipsum esse reale simpliciter & actuale, quod falsum esse luculenter remonstravimus q. 2. hujus *Controv.* Asser. 4. ubi ex professo hoc Mastrii dogma explosum est, & amplius Assertione 5. opponendo illius doctrinæ genuinam literam & mentem Doctoris nostri, vide ibi acta hic non rescribenda, sed relegenda, & videbis *Poncium* ad rationem aliam adductam à *Mastrio* disp. 8. metaph. c. n. 36. dicendo non esse responsione dignam, non nescivisse, ut de illo *Mastrius* ait, quid respondendum, sed judicasse Tyronibus & mediocriter in Metaphysica versatis patere nullitatem argumenti, quod fundatur in transitu ab ente possibili, ad ens actuale nimirum, si haberet natura intrinsecam possibilitatem à seipsa, ergo à seipsa quoque posset habere actualitatem, quia possibilitas à se & independens excludit omnem causam efficientem, quæ ipsum promoveat ad actualitatem, quis non videt alogum hoc & frivolum esse? quæ sequelæ ratio in his: ens possibile est à seipso possibile est à seipso possibile, & qua tale excludit à seipso causam efficientem, non ens enim nequit terminare efficiens, ergo à seipso est actuale? & qua actuale excludit à seipso principium seu causam actualitatis? & ens possibile à seipso est ens negativum connotans positionem in actu signato; ergo ens actuale est ens à seipso in actu exercito? status possibilitatis infert à seipso non esse rei actuale, ergo status actualitatis infert à seipso esse rei actuale? si ille processus valet, valebit & iste: ens possibile est ens negativum, seu importat non ens; ergo ens actuale & positivum est ens negativum & non ens: ens possibile connotat positionem in actu signato: ergo ens actuale con-

Poncius dissensus.

μηδὲν ἄγαν

Mastrius excedit in censurando Poncium.

notat positionem in actu signato, quæ quæso proportio ad inferendum unum ex alio, *existentia rei*, inquit, *proportionatur essentiæ, & posſibilitati actualitas, quod ergo est à se posſibile, poterit & à se existere, nam cernimus in Deo quia ejus posſibilitas est independens & imparticipata ideò est à se & non ab alio.* Loquitur hic Auctor, ut ſuppono de illa eſſentia, quæ eſt ab æterno, quæ eſt ens in potentia, non de ipſa eſſentia actuali & exercita, quæ realiter eſt ipſa exiſtentia, eſſentia ut eſt ab æterno, qualiter proportionari debet exiſtentiæ abundè enodatum eſt q. 2. hujus *Cont.* Aſſert. 4. & iis, quæ ibi ſequuntur, quod eadem eſſentia, quæ fuit à ſeipſa poſſibilis, poſtea per efficiens fiat actualis ſecundum omnia illa, ſecundum quæ fuit poſſibilis, ac in eo conſiſtit proportio, quam inſuper clariſſimè deſcripſimus q. 1. hujus *Cont.* a. 1. n. 351. *probatione* ſecunda pro *Aſſertione* prima, in eo autem, in quo proportionem quærit *Maſtrius*, tam neceſſariò eſt diſproportio inter ens poſſibile & actuale, quam neceſſariò poſſibile qua tale, non eſt actuale, & actuale qua tale, non eſt poſſibile, vel neceſſariò varianda hypotheſis, ut relicta eſſentia ab æterno poſſibili, quam non ſemel diximus conſtitutam in ſola non repugnantia ad exiſtendum cum connotatione poſitionis in actu ſignato, alia proportio illa exiſtentiæ cum eſſentia quærenda in eſſentia actuali, non in poſſibili, tunc verum eſt ſi eſſentia eſt à ſe, etiam exiſtentia eſt à ſe, ſicut in Deo cernimus, ſed hic proceſſus ſaltat extra chorum, & mutata hypotheſi *ſallacia* committitur, ut patet evidenter. Itaque cum particula *à ſe* non egrediatur poſſibilitatis ſtatum, ſed concludatur intra non repugnantiam ad eſſendum, intra chaos non eſſe rerum, tamdiu, donec ſuperveniat agens, quòd educat ex nihilo ſui ad aliquid ſui, certiſſimum eſt ens poſſibile ratione connotati, non excludere, ſed exigere agens, quod ipſum promoveat ad actualitatem, abſona proindè eſt conſequentia *Maſtrii*, ad quam *Poncius* nunquam ſcientius reſpondere potuiſſet, quam ut, ait *Trajanus*, nihil reſpondendo, præſertim *Scotiſtæ*, cui ut ſupra dixi non eſt integrum dubitare de mente *Scoti*, quod voluerit logicum poſſibile à Deo ſive in genere cauſæ efficientis ſivè exemplaris independentem, *non eſt*, inquit Doctor, *fingendum*, quod homini non repugnet, puta exiſtentia, quia eſt ens in potentia, & chymeræ repugnet, quia non eſt ens in potentia, imò magis è converſo, quia homini (ſubaudi à ſeipſo) non repugnat, ideò poſſibile eſt potentia logica, & quia chymeræ (ſubaudi à ſeipſa) repugnat, ideò eſt impoſſibile impoſſibilitate oppoſita, quod autem ibi loquitur de repugnantia à ſeipſa, quam ſeipſeitatem videt ipſe Deus in ente V.G. homine poſſibili, & non videt in chymera ſeu in impoſſibili, præter loca citata vide actum q. 1. hujus *Cont.* per totum.

Refutatur amplius *Maſtrius* & vindicatur *Poncius*, quem perperam *Maſtrius* quaſi errori *VVickleff* faventem dicit cenſuratque.

441 DEinde cit. *diſp.* 3. de intellectu divino q. 2. de ideis divinis n. 59. arguit *Poncium* quod dicat de ratione creaturæ duntaxat eſſe, quod ſit ab alio, quantum ad eſſe reale ſimpliciter ſeu eſſe exiſtentiæ, non autem quantum ad eſſe poſſibile, idque impugnat *primò* de ratione creaturæ eſt, quod à Deo dependeat quo ad omne ſuum eſſe, quod habet extra Deum. *Secundò* quia eſſe imparticipatum quo ad eſſentiam, reddit quoque imparticipatum quo ad eſſe exiſtentiæ. *Tertiò* quia exiſtentia rei proportionatur eſſentiæ, ergo ſi eſſentia habet independentiam etiam & exiſtentia. *Quartò* quia creaturæ in tempore adhuc retinet, licet ſub complemento illud eſſe diminutum, *Maſtrius.* quod ab æterno habebat. *Quintò* quia Deus non eſſet Deus, ſi haberet eſſe independens quo ad exiſtentiam & dependens quo ad eſſentiam: ergo è contra creatura non erit creatura, ſi ſit ſolum dependens quo ad eſſe exiſtentiæ non verò eſſentiæ, quia de ejus ratione, eſt, ut ſit dependens in omnibus eſſe reali. *Sextò* tandem quia hic dicendi modus proximus eſt errori Wicleph tribuentis creaturis aliquod eſſe reale ab æterno, imò in hoc excedit, quod hoc eſſe diminutum adſcribit creaturis ab æterno independenter prorſus à Deo, quod Wicleff aſſerere non videtur. Ita *Maſtrius* l. c.

Ad omnia hæc ex dictis uno verbo reſponderi poteſt, quod variet hypotheſin, aut non diſtinguat inter eſſentiam actualem, quæ eſt ipſamet realiter exiſtentia & inter eſſentiam ab æterno, quæ eſt ens in potentia & actu merum non ens, quod actu non ens eſt à ſe, hæc enim eſt rerum poſſibilium, quæ non ſunt Deus, inanitas, quod à ſe ſunt non entia, ita tamen, ut nec illis à ſe repugnet, poſſe eſſe, hinc illud non ens, quod poſſibile dicimus connotat exiſtentiam ſui in actu ſignato, hac quippè attenta diſtinctione, non ſolum *Poncius Maſtrio* ad primam ſuam rationem rectè dicebat, peti principium, ſed & petit aliam hypotheſin, in qua totum admittimus, & quidquid attulit, approbamus nempè *primum*, quod ſit de ratione creaturæ actualis, quod dependeat à Deo quo ad omne ſuum eſſe, etiam quo ad connotatum, quod importat terminativè ens poſſibile, id eſt, quod connotat in obliquo. Admittimus in hoc ſenſu ſimiliter *ſecundum*, quod eſſe imparticipatum quo ad eſſentiam, reddit quoque imparticipatum, quo ad exiſtentiam, ut videmus in Deo, præter quem aliud non inveniet, & ideò ſuppoſitum quod affert in quinta ratione non eſt ad propoſitum. *Ad tertium* patet ex immediatè dictis: *Ad quartum* huic Auctori reſpondimus ſupra q. 2. ſub Aſſert. 2. n. 391. §. *Ad aliud quod*

quod ex Aristotele. quod non valeat transitus ab ente possibili, ut est ens in potentia, ad illius oppositum, scilicet ens in actu per positivam realitatem, cum ens possibile, de quo nos hic tractamus, adjunctam habeat negationem actualitatis exercitæ & positivæ, totum autem, quo ad omne, quod habet in tempore dependet à Deo, hoc autem, quod habet in tempore, non est esse participatum ab æterno, sed ab æterno est solum esse non repugnantiam ad essendum, quæ non adversatur actualitati essentialiter exercitæ, quomodo etiam Deus potest dici ens possibile ut l. c. ostensum est, non autem esse illam, quæ dictam negationem annexam habet, qualis Deo repugnat omnique opponitur enti, quod est extra suas causas in actu existentiali ? *Ad quintum* patet exstatim dictis.

Ad sextum pro responso vide, quæ diximus sub *Assertione* prima hujus quæstionis n. 434. *in fine.* pro sua defensione, non solum rectè *Poncius* ait esse crassum errorem id putare, sed insuper addo non esse rationem, sed amarulentiam animi, velle tanto viro & de Schola *Scoti* optimè merito eundem errorem affricare & quem primo illi Metaphy. l. c. quasi similitudinariè duntaxat attribuerat, postquam seipsum modestè satis & optimè explicuit, & longè esse ab illo errore ostendit mordicus nihilominus sustinere, quod dubium sit, an non tali errore obnoxius maneat ; *Poncius* respondet : *Wicleffus posuit esse realiter simpliciter & illud ipsum independens à Deo ; ego verò non pono nisi esse diminutum seu possibile,* ad quod *Mastrius* negativa fretus auctoritate ait ; *gratis id asseritur ; nam qui Wicleffo adscribunt, quod tribuerit creaturis esse ab æterno in mente divina aliquod esse reale distinctum ab esse Dei non exprimunt, quod illud posuerit à Deo independens.* Verùm gratis hæc asserit *Mastrius* & videtur nescivisse vel simulare se scire, quis fuerit error Wicleffi, qui erat in duabus potissimùm propositionibus (ad quas aliæ *Ioannis Hus* referri possunt) ut refert *Valdensis* 1. Tomo l. 1. a. 1. c. 1. n. 1. & *circa medium*, scilicet ratione existentiæ idealis creaturarum in Deo dici absolutè & sine additamento hoc (*secundum esse ideale*) has esse veras, *omnis creatura est Deus & quodlibet est Deus*, etsi apud rudiores, *equum aut asinum esse Deum* malè sonet ; rationem subdit : quia talia subjecta sunt, qualia à prædicatis præmittuntur, quare cum ex parte prædicati *Deus* ponatur se solo, facit pro esse ideali creaturam supponi, etsi in propositione esse ideale ipsius non exprimatur ; *Wicleffus*, itaque ea ratione erravit, quod absolutè & sine additamento concederet illas propositiones, quæ propositiones à Concilio *Constantiensi* damnantur, ut hæreticæ, quia iis suppositis ex regulis dialecticis negari non potest ejus convertens, quæ tamen à *Wicleffo* negatur *Deus est creatura*, quare etsi animus Wicleffi hæreticus in hoc non fuerit, propositio tamen hæretica est, *quod quodlibet est Deus & creatura est Deus*, & quia ut rectè *Vasquez* 1. p. dist. 70. c. 2. n. 5. notat, *Wicleffum* non tam stultè erravit, ut putâverit quamlibet creaturam in proprio genere Deum esse, quinimò id expressè negavit, hinc certum est, quod voluerit intelligi creaturas pro esse ideali in istis propositionibus, quod indubiè independens est à Deo, cùm sit ipse Deus, hanc ergo independentiam quæ Catholicè asseritur, exprimere non erat opus, quia in hoc non erat error, sed in eo, quod diceret *creaturam esse Deum*, jam quid quæso Commercii cum hac, aut similis farinæ propositionibus, in quo latitabat error *Wicleffi*, quid, inquam, commercii habet doctrina *Poncii* ? nullum, prorsus nullum, *Poncius* cum *Scoto* judicavit, res ab æterno ne minimam realem existentiam habere extra causas, & ideò, ut ipse *Mastrius*, dist. 3. de intellectu divino q. 2. de *ideis divinis* a. 1. n. 52. fatetur, appellavit esse diminutum & secundum quid, quod procul est ab errrore. *Mastrius* econtra d. c. a. 2. n. 59. ante finem numeri sui immemor, ait, *illud diminutum esse realiter identificatum, quantum ad omne positivum cum esse reale simpliciter*, diminutum illud est ab æterno, negari enim non potest res omnes possibiles fuisse, & futuras ab æterno intellectui divino objectivè præsentes, itaque si illud diminutum sit realiter identificatum cum esse reali simpliciter, erit esse rerum simpliciter ab æterno, quod certè potiusque malè sonat in nostra fide, quàm illud, quod nos & *Poncius* docemus de illo possibili à seipso in statu suæ nihileitatis manente, ut illi tamen non repugnet à seipso, ut possit ab agente poni ad statum actualitatis.

Defenditur Poncius.

Quis fuerit error Wicleffi?

Porrò n. 60. *cit.* d. 3. de intellectu divino enerviter impugnat *Poncium* optimè respondentem, quòd creaturæ habeant possibile logicum vel remotum ex seipsis, possibile proximum autem principietur ab intellectu, non ab omnipotentia & voluntate divina, ad quam spectat res producere, & hæc non possit res alias producere, quam possibiles, nec ipsas etiam posset, nisi cognoscantur, quia in nihil potest ferri voluntas, nisi in cognitum & eo ipso quo cognoscuntur, statim voluntas posset velle eas producere, ac consequenter fit manifestum, quòd habeat esse possibile proximum ab illa cognitione, à qua voluntati objicitur *cognitum esse*, quod ante erat incognitum, adeoque proximè à voluntate improducibile, & sicut ante cognitum esse erat proximè improducibile, ita clarissimè patet ab illa non potuisse constitui proximè possibile, cùm non possit ferri in incognitum, ergo proxima illa possibilitas, quâ sit à voluntate proximè producibilis est, quia ab intellectu præcognitum esse accipit, id quod nolens volens tandem *Poncio* dare cogitur *Mastrius*, concedens illi ad finem numeri 60. divinam omnipotentiam non posse res producere nisi

443

possi-

Maſtrius refutatur.

poſſibiles, atque adeò ab ea poſſibiles ſupponi, non verò conſtitui, ſed inquit, *id ſolum probat de probabilitate logica remota, non autem proxima & objectiva*, quod eſt merum effugium, nam voluntas etiam in ſententia Maſtrii nullam dicit habitudinem neque tranſcendentalem ad creaturas poſſibiles, ergo per hanc non conſtituuntur proximè poſſibiles, per quid ergo illi conferet poſſibilitatem proximam? non per virtutem productivam, quia ſicut illa nequit producere quidquam, nec producibilitatem ſeu proximam poſſibilitatem conferre, niſi illi ab intellectu fuerit per medium cogniti eſſe applicata & approximata, ut ſecluſo intellectu, poſſibilitas phyſica & objectiva, eſto concernat virtualem incluſionem in continentia eminentiali Dei, quam non concernit poſſibilitas logica, tam ſit remota ad produci, quàm ipſa poſſibilitas logica, neutra quippè ſecluſo intellectu voluntati proponeretur, adeoque neutra producibilis eſſet, ergo quod proximè producibilis ſit, eſt ab intellectu Dei, non à voluntate, quæ non poteſt ferri in incognitum; dicendum itaque, quod res quidem non habeant poſſibile proximum à ſeipſis, benè tamen poſſibile logicum remotum utpotè quod habent pro eo priori, quo intellectus terminatur ad objectum primarium, ſitque poſſibile proximum per *cognitum* & voluntati *approximatum eſſe* pro ſecundo inſtanti, primum explicat *Doctor* dicendo, quod tale poſſibile conveniat rebus ex ſeipſis, ſecundum explicat dicendo: eſſe principiativè ab intellectu, ac proindè ab extrinſeco, ut opponens contendit, non tamen à voluntate, ſed ab intellectu, quam doctrinam credo non inficiaretur, ſi illam non doceret *Poncius*, cui aut deferre aut cedere nolens, revera impegit contra *Scotum*, ut conferendo textum illius per totam hanc Controverſiam exactè & ad mentem Doctoris elucidatam cum dictis *Maſtrii*, patet manifeſtè, qui alioquin eſt ſyncerus & fideliſſimus Scoti Aſſecla & Hyperaſpiſtes pugnaciſſimus, qui pari animoſitate quidem, ſed irrito conatu laboravit à n. 61. uſque ad n. 64. diſſolvere fundamenta *Poncii*, ut enim patet attentè legenti & conferenti reſponſa *Maſtrii* cum iis, quæ ex Scoto attulimus hac *Cont.* & iis quæ ipſe *Poncius* reſpondet, enervia ſunt aliena à ſeipſo *Maſtrio*.



CONT. XVI.